INSCRIPTIONES
VEL TITVLI

THEATRI

AMPLISSIMI, COMPLECTENTIS
rerum vniuersitatis singulas materias et
imagines eximias. ut idem recte quoque dici possit:

Promptuarium artificiosarum miraculosarumque rerum, ac omnis
rari thesauri et pretiosæ supellectilis, structuræ atque picturæ.
quæ hic simul in theatro conquiri consuluntur, ut eorum
frequenti inspectione tractationéque, singularis aliqua
rerum cognitio et prudentia admiranda,
citò, facilè ac tutò comparari
posſit. autore Samuele à

QVICCHEBERG BELGA.

MONACHII
Ex Officina Adami Berg typographi.
Anno M.D.L.X V.
Cum gratia et priuilegio Cæsareo.

☿ Hac nota Mercurij, cui interpretis munus aſſignatum eſt, utimur, ubi inſcriptionibus hiſce ſuccinctis deſignatæ ſunt in altera commentarioli parte explicationes aut digreſſiones. Quare autem ita ſuccinctæ ſint ipſæ inſcriptiones, partim initio, partim in fine digreſſionum indicatur.

THEATRI QVICCHEBE-
GICI.

CLASSIS PRIMA.

INSCRIPTIO PRIMA. ☿


Abulæ ſacrarum hiſtoriarum: tàm pictæ, quàm ſculptæ, aut alio quouis artificio factæ: quæ in ſacro theſauro, quippe ex biblicis, et alijs Chriſtianis hiſtorijs productæ, primo loco ponuntur: atq; ita ob eximium aliquod artificium ſummopere venerantur.

INSCRIPTIO SECVNDA.

Genealogia fundatoris theatri: quæ gentis ſuæ vniuerſæ, et affinitatis propinquioris certo ordine continet enumerationem. Ei accedunt etiam affinium principaliorum, & conſobrinorum â fundatore honoratorum, arbores peculiares, huic principali ſeruientes.

INSCRIPTIO TERTIA.

Effigies fundatoris theatri, diuerſarum ætatum: tum et eius parentum, cognatorum, & quandoq; anteceſsorum in officijs, quotquot præcipui in ea familia vel antecedente gubernatione fuerunt: quorum ſaltem effigies conquiri potuerunt: partim pectore tenus, partim integræ ſtaturæ.

INSCRIPTIO QVARTA. ☿

Geographicæ tabulæ: quæ & mappæ uulgo dicuntur: eæq; vniuersales, & particulares: marinæ et chorographicæ. etc. Item principaliter regionis uel territorij ipsius fundatoris theatri, tabula præ communibus quædam illustrior, sumptuosior, et magis ampla.

INSCRIPTIO QVINTA.

Vrbes pictæ: in Europa, Imperio, Italia, Gallia, Hispania & alijs, tàm Christiani, quàm exteri orbis regionibus illustres. Item fundatoris theatri archipoles, aut aliæ inter reliquas celebriores, aut demum eæ vrbes vel etiam domus, quas dominus earum voluit honorare.

INSCRIPTIO SEXTA.

Expeditiones, bella, obsidiones, instructæ acies, naumachiæ, pugnæq; aliæ celebres: vel nostro vel priscis tẽporibus spectatæ aut vsurpatæ: quæ saltem nostris gloriosæ aut merito ob varios quosdam euentus rerumq; peritiam Christianis ob oculos ponendæ.

Inscriptio

Classis prima.

INSCRIPTIO SEPTIMA.

Spectacula, triumphi, festiuitates, ludi, et aliæ eiusmodi actiones, quæ vsquam imagine aliqua exprimi possunt: vt certamina equestria, celebritas concessorum regalium, ritusq; alij veteres, & noui. Item certamina gladiatoria, naualia, sagittariorum, ludicraq;.

INSCRIPTIO OCTAVA. ☿

Animalium grandes picturæ: vt rariores depicti cerui, apri, leones, vrsi, fibri, piscesq;, tàm dulcium aquarum, quàm marini: et quæcunq; fundatoris regio profert præter co͂munem vsum memorabilia: aut quibus contrà fortè caret, vt ob raritatem pictura in precio habeatur.

INSCRIPTIO NONA.

Ædificiorum exempla ex arte fabrili: vt domorum, arcium, templorum, vrbium, castrorum, munitionum, ex asserculis, chartis, pinnulisq; combinata: ac coloribus fortè ornata. Item naues, vehicula, scalæ, fontes, arcus, pontes & aliæ structuræ exilibus formulis proditæ.

INSCRIPTIO DECIMA.

Machinarum exempla minuta: vt ad aquas hauriendas, ligna in asseres dissecanda, grana comminuenda, palos impellendos, naues ciendas, fluctibus resistendum: ect. pro quarum machinularum aut structurarum exemplis, alia maiora ritè extrui & subinde meliora inueniri possint

CLASSIS SECVNDA.

INSCRIPTIO PRIMA.



STatuæ lapideæ antiquæ & nouæ: Cæſarum, regum, illuſtrium virorum, diuorum, numinum, et animalium quandoq;. Eæq; tàm ligneæ et argillaceæ, quàm marmoreæ aut æris cuiuſcunq;. Item fragmenta capitum, manuum, crurium, truncorumq;.

INSCRIPTIO SECVNDA.

Fabrilia artificioſa opera: ex quocunq; metallo confecta. vt aurifabrorum, orichalcifabrorum, horologiariorum, enſifabrorum, & aliorum præſtabilium artificum, ex quibuſcunq; metalli maſsis, aut laminis, vel è ſculpendi, vel fundendi arte aliquid producentium.

INSCRIPTIO TERTIA.

Artificum opera omnis generis: ex ligno, lapide, gemmis, vitro, telis, alijsq; materijs diuerſiſſimis. Producta ex arte tornatorum, plaſtarum, ſubtilium ſculptorum, vitri artificum, acupictorum, textricum, & eius generis alia artificia tractantium, præter ſuperius enumerata.

INSCRIPTIO QVARTA.

Supellex ingeniosa: & admiratione digna vel ob raritatem, vel ob loci, aut temporum interualla, à quibus petita sunt. Ea vero præcipue minuta: et elegantior: nisi & aliquando quædam grandior ad cognitionem peregrinorum rituum et operum conducere possit.

INSCRIPTIO QVINTA. ☿

Vasa peregrina: metallica, figulina, sculptilia, lignea&q;, & forma multum differētia, partim ex antiquis ruinis effossa, partim procul allata: vel saltem in regione fundatoris theatri minus vsitata. Item quædam templorum vasa, & antiquorum sacrificiorum.

INSCRIPTIO SEXTA. ♀

Mensuræ, pondera, vlnæ, pedes, & geodætica omnia: in diuersis regnis ac rebuspublicis vsitata. Omnino quæ sunt liquidorum, aridorum, spaciorum, agrorum, fodinarum, fontium, & aliarum rerum. præter mathematica peculiari titulo suo loco recensita.

Inscriptio.

 Classis secunda.

INSCRIPTIO SEPTIMA.

Numiſmata vetera & noua: vt tâm Romana illa antiqua quàm alia peregrina, & domeſtica à proauis & attauis regibus principibusq́ causa, ob eorum hiſtoriam et inſigniã aſſeruata. Sunt autem aurea, argentea, ærea, vel cuſa, vel fuſa, vel ſculpta vel impreſſa.

INSCRIPTIO OCTAVA.

Effigies monetis aſſimiles: metallicæ, lapideæ, ligneæ, cereæ, gypſatitiæ etc. Regum, principum, optimatum, matronarum, hominum bello illuſtrium, doctrina clarorum artificijs probatorũ quædam etiam cum auerſis partibus, vbi ſic fortè offeruntur.

INSCRIPTIO NONA.

Symbolica ſigna: & illa inſtar monetarum, ſculptilia, fuſa, cuſa, impreſſa, ac arroſoria arte prodita. quando cum effigiebus non cohærent, ſed earum quaſi partes auerſæ, peculiari titulo aſſeruantur. ex materia eadem qua effigies, aut monetæ.

INSCRIPTIO DECIMA.

Aurifabrorum formulæ minutæ: ad imagunculas sacras, & prophanas: ad altaria, vasa, monilia supellectilemque preciosam, vndique formam particulatim suggerentes. Inter quæ & ornamentorum formulæ frondosæ, floridæ, belluatæ, conchiliatæ, volutatæ. etc.

INSCRIPTIO VNDECIMA.

Impressoriæ cupreæ formulæ: in quibus imagines excellentes in plano incisæ, vel arrosoria arte insitæ: quæ historias, effigies, insignia, emblemata, architecturæ exempla, & innumerabilis argumenti formas, pro ingenio fundatoris theatri continent exhibentque.

CLASSIS TERTIA.

INSCRIPTIO PRIMA. ☿



Nimalia miraculoſa & rariora: vt raræ aues, inſecta, piſces, conchæ, ect. ex terra mari, fluuijs, montibus, ſyluis, & alijs locis producta: eaq; vel particulatim, vel integra à corruptione, quouis modo vel conditione conſeruata, & exiccata.

INSCRIPTIO SECVNDA.

Animalia fuſa: ex metallo, gypſo, luto, facticiaq; materia qualicunq;: qua arte apparent omnia viua: vt lacertæ, angues, piſces, ranæ, cancri, inſecta, conchæ, & quicquid eius generis eſt, quibus poſtremum coloribus ferê ſubuenitur, vt vera eſſe putentur.

INSCRIPTIO TERTIA.

Animaliũ grandiorum partes, nec non & minorum, ſi quæ memorabiles: aſſeruãturq; hic cornua roſtra, dentes, vngulæ, oſſa, innati lapides, pelles, pennæ, vngues, exuuiæ, & quicquid eſt reliquarũ partium, quod aliquam varietatem afferre poteſt.

Classis tertia.

INSCRIPTIO QVARTA.

Scheleta varia: seu ossa combinata: vt viri, fœminæ, simij, porcelli, auium, ranarum aliorumq; differentium. Item ad formam hominis partium facta quædam artificiosè, vt humani oculi, cum suis tunicis, vt aures, nares, manus, mutilatis hominibus statim seruire parata.

INSCRIPTIO QVINTA. ☿

Semina, fructus, legumina, grana, radicesq; semina supplentes: & quæ materialia huius generis dicuntur. quæ saltem asseruatu commoda, & spectatu iucunda: ob naturæ varietatem, vel appellationum diuersitatem. Prærogatiuã hic quandoq; habent peregrina, miraculosa, odorata.

INSCRIPTIO SEXTA.

Herbæ, flores, ramusculi, termites, cortices, ligna, radices, etc. hæc quidem exiccata, vera & selecta. per classes disposita. Aut eiusmodi metallo fusa, aut serico texta, aut noua quadam arte depicta. Hic & lignorum genera omnia particulatim asseruantur.

Inscriptio,

Classis tertia.

INSCRIPTIO SEPTIMA.

Metalla & metallicæ fodinarum materiæ tũq; veræ radices metallorum, & mineræ cadmiæq; etc. Item eodem modo ſolidæ venæ puriſſimorum metallorum. Deniq; artificio iſta omnia imitata: & metalla ignem gradatim experta, aliaq; plus, alia minus excocta ſegregataq;.

INSCRIPTIO OCTAVA. ☿

Gemmæ, lapidesq; prætioſi, vt adamantes, ſapphiri, ſmaragdi, rubini, etc. Item gemmarum, fluores pellucidi, tàm crudi, quàm politi, & ſimiles materiæ reſplendentes. Atq; horum fortè quædam leuiter auro intexta, vt in armilia, inaures, frontalia, torques accommodentur.

INSCRIPTIO NONA.

Lapides inſigniores, poſt illos præcioſos, vt inſigniora marmora, iaſpides, alabaſtri. &c. itàq; marmor Porphyrite, Donyſium, Ophiticum. etc. hæc quidem non pellucida, ſed valdè ornata. Sunt & medicinales hoc loco non pellucidi: vt hæmatites, ætites, magnes, theamedes. &c.

Classis tertia.

INSCRIPTIO DECIMA.

Colores & pigmẽta: vt colores fusorij, friabiles, minerales, aquei, oleagini, vitrei. &c. ad metalla, gummi, ceras, sulphura, ligna, ebur, telas, lanas inficiendas, pingendas, colorandasq́. Vbi peculiares sunt capsulæ oleo temperatorum, aliæ aqua gummeata delibutorum.

INSCRIPTIO VNDECIMA.

Terreæ materiæ & succi: tàm spontanei, quàm factitij, & excocti, aut alicubi adhærescentes: vt boli, cretæ, argillæ, glebæ, & aliæ coloratæ terræ. Item vitriola, alumina, sales, terreiq́ lapides, & tophi. Deniq́ materiæ stillantium thermarum, specuumq́.

QVARTA CLASSIS.

INSCRIPTIO PRIMA.


Nſtrumenta muſica: vt tibiæ, fiſtulæ, organa, cornua, litui, tubæ. &c. Item fidiculæ, teſtudines, citharæ trigonales & teſtudinatæ, clauicordia, tympana, nabla, & multa alia genera, ad ſuos choros coniunctim vel diuiſim pertinentia.

INSCRIPTIO SECVNDA.

Inſtrumenta mathematica: vt aſtrolabia, ſphæræ, cylindri, quadrantes, horologia, baculi geometrici & alia ad dimetiendum, terra mariq́ꝫ, bello & pace vſurpanda. Item corpora regularia multiplicis formæ, pulchrè tranſparentibus tigillis combinata.

INSCRIPTIO TERTIA.

Inſtrumenta & ſupellex ſcriptoria, pictoriaq́ꝫ: vt membranæ, chartæ, tabellæ, pugillares, calami, ſtyli, typi incuſorij, colores ſcriptorij, circini, regulæ, raſtra. et multa huius generis alia, in capſulas ſuas diſtributa. Tum & commodiſsima pulpita, ſcrinia, thecæ.

Inſcriptio

INSCRIPTIO QVARTA.

Instrumenta violenta, vt ad pondera grauissima leuanda, ad infringẽdas portas, cardines, seras &c. Item conducentia attractioni, vectioni, impressioni: Item ad aliquò commodè ascendendum nauigandum, natandum, volatum similandum.

INSCRIPTIO QVINTA. ☿

Instrumenta officinarum, & tabernarum laboratoriarum, quæ ab artificiosioribus artificibus vsurpantur. vt instrumenta sculptorum, tornatorũ, aurifabrorum, fusorum, fabrorum lignariorum, aut omnium deniq; artificum, quos alit hic orbis seculo nostro.

INSCRIPTIO SEXTA.

Instrumẽta chirurgica, & anatomica, & cõptoria, vt forfices, phlebotomi, terebella, serræ, syringes, manicæ, nouaculæ, specula, pectines, perspicilla, auriscalpia: & omnia quæ suggerit locuplete numero chirurgia, quasq; tractant aliptæ, cosmetæ, tonsores, balneatores.

Classis quarta.

INSCRIPTIO SEPTIMA.

Inſtrumenta venatoria: & quæcunq; ruri, ac in hortorum cultura neceſſaria ſunt: vt quæ ſeruiunt etiam aucupijs, et piſcationibus, ſaltem ingenioſa: vt fiſtulæ ad aues, titubæ ad ceruos, & ad piſces hami, tridentesq;. &c. Sed & multa alia ad plantandum, putandū, ſarriendum, terramq; colendā.

INSCRIPTIO OCTAVA.

Inſtrumenta luſoria: tum et exercitij ingenioſi, et iucundioris, et ad agilitatem corporis præcipuè pertinentia. cuius generis ſcachorum ludus, diſcus, pila, pyramides, aſtraguli, trochi, telenon, globi, iacula, ſphæræ. Et in admirationem pertrahens ſimpliciores geſticulatorum aſcopera.

INSCRIPTIO NONA. ♀

Tela gentium peregrinarum: et alia rariſsima aut cōmodiſsima arma, vt acinaces, arcus, baliſtæ, iacula, pharetræ, coryti, fundæ. &c. et quicquid ita rarum vt non minus ad admirandum theſaurum, quàm ad inſtructum armamentarium videatur transferendum.

INSCRIPTIO DECIMA. ☿


Veſtitus peregrini vt Indiani, Arabici, Turcici ijꝗ rariores: atꝗ aliqui ex plumis pſittacorum, ex tela, vel textura qualibet mirifica, vel corio variè conſuto. Item minuti veſtitus exterarum gentium, inſtar puparum, ad diſtinguendos habitus virginum, viduarum, ſponſarum. &c.

INSCRIPTIO VNDECIMA.

Veſtes durabiles rariores: vt priſcorum auorum cuiusꝗ theatri fundatoris. quo loco poſsint eſſe, paludamentum imperatoris, pallium ducale, & qualibet veſtis ſacerdotalis. &c. Item alia ornamenta, vt torques, pilei, balthei, marſupia, criſtæ &c. gratæ alicuius memoriæ cauſa aſſeruata.

QVINTA CLASSIS.

INSCRIPTIO PRIMA. ☿


Picturæ oleaginis coloribus expressæ: à præstantissimis quibusque pictoribus perpolitæ. vbi in ea arte obseruetur, quantum alter alterum in rebus ipsis, proportione, gestu, opticis, varietate, parergis, alijsque rebus notatu dignis vicisse videatur.

INSCRIPTIO SECVNDA. ☿

Picturæ aqueis coloribus confectæ: celebrium vndique etiam pictorum, summo studio collatæ: vt dum per singulas regiones, singuli artifices inuitati, quasi honesto certamine singula opera, vel libros, qui potuerunt à se confici longè præstantissimi protulerunt.

INSCRIPTIO TERTIA. ☿

Imagines ex ære impressæ: et aliæ picturæ chartaceæ in paginis magnis paruisque, per thecas, & suas classes accuratè tanquam in peculiari bibliotheca dispositæ. Apud hæc sunt etiã integra volumina, et libelli imaginum quomodocunque æditi compactique, suas thecas et ipsæ ibidem sortiti.

INSCRIPTIO QVARTA.

Partitionum tabulæ sacræ et profanæ. Item historici cathalogi, & chronologiæ, maximis tabulis exhibitæ: tanquam mappæ quædam, non rarò etiam latè extensæ. Ita sunt etiam tabulæ ramosæ, et aliæ singularum adeò disciplinarum partitionem et principalia capita amplè ob oculos ponentia.

INSCRIPTIO QVINTA. ☿

Genealogiæ vndequaq; amplissimæ: regum, ducum, comitum, & illustrium nobiliumq; familiarum: tàm manu pictæ, quàm impressæ: inter quas etiam occurrũt illæ radices dependentes, quæ in probationibus auorum quatuor, octo, sedecim, et sic duplicando in immensum quandoq; adhibentur.

INSCRIPTIO SEXTA.

Effigies illustrium, et clarorum virorum: maximo numero conquisitæ: vt ij saltem adsint imperatores, reges, principes, et alij viri excellentis virtutis, quibus memorandis fundator theatri delectabatur: quibusue præ reliquis vndiq; familiaribus plurimum fauebat.

Inscriptio.

Classis quinta.

INSCRIPTIO SEPTIMA. ☿

Insignia nobilium familiarum: tùm et arma et spolia picta ad certas regiones, ac classes officiorũ pertinentium: vt procerum imperij vniuersorum, munia imperij hæreditaria sustinentium, vt certorum ordinum aut partium ad aliquod regnũ, ducatum, episcopatum tanquam insita membra relatorum.

INSCRIPTIO OCTAVA.

Tapetes et aulea: eaq́ꝫ exquisiti artificij et formæ non nimis latæ, sed tolerabilis: quæqꝫ aliquando pictarum tabularum suppleant locum. Hic sint sericea, aurea, lanea et texturæ cuiusuis subtilioris. Demum et illa quæ in aurea tela coloribus inficiuntur, vel acu pinguntur.

INSCRIPTIO NONA. ☿

Sententiæ et gnomæ: eæq́ꝫ ad certa spacia theatri inscriptæ: potissimum verò sacræ, vel morales: vel ad classes supellectilis cuiuscunqꝫ peruenustè cõgruentes. Harum aliæ parietibus, aliæ in appensis tabellis, aliæ aureis, aliæ coloratis literis depictæ.

Clasſis quinta.

INSCRIPTIO DECIMA. ♀

Repoſitoria vndiq; in promptu: ad ſingulas res in ſe recipiendum aut recludendũ: vt armariola, arcæ, ſcrinia, thecæ, fiſcellæ, cophini, calatiſci, gradata pulpita, alueoli, ciſtæ. et in parietibus obuelati fortè riſci. & per certa theatri ſpacia menſæ: itemq; arcus, turricula, pyramides ipſa armariola imitata.

FINIS INSRIPTIONVM THEATRI QVICCHEBERGICI. SEQVVNTVR MVSEA ET OFFICINAE.

MVSEA

MVSEA ET OFFICINÆ, AC RECONDITORIA, QVALIA ad ſapientiæ et iucundi artificij ſupellectilem quandoq; peculiaria in regijs extruuntur, quandoq; uero coniunctim habentur.



Ibliotheca omnis generis librorum inſtructiſsima, in ſuas claſses,(quæ fiunt per facultates, diſciplinas ac linguas) diſtincta : hoc modo : ut peculiariter diſponantur libri, Primo Theologici. II. Iuridici, III. Medici. IIII. Hiſtorici. V. Philoſophici. ſub quibus et Dialectici, Magiciq; &c. VI. Mathematici. ſub quibus et Aſtrologici, Arithmetici, Geometrici. VII. Philologici: ſub quibus ſcriptores locorum communium & omnis uarietatis, et aliarum rerum, quæ ad reliquas claſses referri non poſsunt. ut ſcriptores de re Militari, de Arhitectura, de Agricultura, &c. VIII. Poetici ſacri & prophani. IX. Muſici. X. Gramatici. ſub quibus et lexica, et commentatores ſuper Philologos et Poetas : nam reliqui commentatores ſinguli ad ſuas referuntur claſſes. Linguæ, ſunt libri Hebraici, Græci, ſub quibus et Græcolatini: Germanici, ſub quibus et Belgici, poſtea ſunt Italici, Gallici, Hiſpanici, &c. quotquot colligere placet : ſortitur autem bibliotheca ſua loca, præter pulpita commodiſsime his nominibus uocata : ut Regiones, qui ſunt integri parietes : Stationes, qui ſunt ſinguli aſſeres : Coloniæ & Appendices, quæ forte accedunt Regionibus quaſi quædam additamenta. Inde numerantur uolumina, et decimum quodq; certo colore inſignitur, unde decuriæ colligantur & procul conſpiantur.

Typographica officina et ſupellex : in qua typi omnis generis ad quaslibet linguas, artes, diſciplinas in promptu ſunt excudendas. Vbi et adſunt notæ muſicæ, mathematicæq;, et figuræ uariæ ad ſupradictas artes, tùm & ligneæ formæ ad plurima ornamenta librorum proferenda accommodatiſsima. Torna-

Musea et officinæ.

Tornatilis supellectilis, et instrumentorum tornatilium, compactoriorumque officina: ut illa in numero artificiorum iucundiorum, apud plerosque principes, et optimates habentur. & loca sua in splendidissimis regijs quandoque sortiuntur. Hic autem in tornatili fiunt opera diuersa, ex ligno, metallo, ebore, alabastro, cornibus, ossibus, et alijs forte adhuc rebus, suam sponte naturam operatoribus suis edicentibus: ut præter ornatum & munditiam quæ summa hic sunt, delectatio etiam non leuis percipiatur: ideoque etiam eis, quæ ad compingendos libros spectant, meritò consociantur.

Pharmacotheca seu myrothecium: quo genere promptuarij instruendo mirificè regum et principum coniuges oblectantur, ex innato isti sexui ægris et pauperibus succurrendi studio: præterquam quòd ex pharmacorum confectione, et rerum plurimarum conditione, et aquarum oleorumque destillatione, nunquam satis exaciari animus potest, dum nouam subinde experientiam ex dudum cognitis rebus uideat promanare.

Fusoria officina, cusoriaque: cum foco ipso fabrili, alchimisticoque. conueniens omni metallo fundendo, cuilibet materiæ colliquandæ, sublimandæ, præparandæ, exprimendæ &c. Et quidem hic quibusdam magis forte uersari placebit in mundioribus: ut gypsatitijs formulis producendis, herbulis, uermibus, reptilibusque argenteis, aureis, stanneisque ex uiuis rebus fundendo.

Sola quandoque etiam reperiuntur conclauia de singulis classibus, aut etiam inscriptionibus supradictis: ut ubi tantum imagines è cupreis formis expressæ asseruentur: ubi tantum effigies in tabellis appensæ conspiciuntur: ubi solum mappæ illæ geographicæ expansæ ostendantur: Sola denique conclauia habentur in quibus omnis generis artificiosa supellex, & instrumenta custodiuntur: Nec non etiam inuenias cænacula, ubi tantum animalia rariora depicta, denique admirandi roboris ceruina, aliaque cornua, et res eius generis aliæ affiguntur. Quique musicis forte mediocriter delectatur, peculiare conclaue, aut museum instrumentis musicis destinauerit. Sic etiam qui uitæ sanctimoniæ deditus ante omnia

fuerit

Musea et officinæ.

fuerit, sacellum suum orationibus & sacris imaginibus habebit consecratum. Cum etiam uasis argenteis aureisq; suas testudines uideamus ab ignium et furum iniuria separatas. Denicq; & cameras suas habent tapetia cortinæ et panni, diuerso usui seruientes: Vbi iterum nõ absunt repositoria, solum earum uestium quæ ad ornanda spectacula, & laruatorum lusus magna quandoq; copia seruantur. Ad extremum, nulla pene hic est inscriptio, quæ non etiam posset peculiare demereri museum, aut conclaue, si cui rem aliquam solam, indefesso studio excolere fuerit constitutum.

Hic etiam subiungenda armamentaria saltem illa, quæ principes & optimates aut maximi nobiles, in suis regijs, arcibus, palatijs, domibusq; singulari industria extructa ornataq; habent: quæ diuersa iam sunt ab ijs quæ ad munitiones generales spectãt, nam hæc domestica solum ad exercitia equestria, & quandoq; ludicras pugnas, terra et aqua, arma atq; ornamenta suppeditant: illa integros exercitus instruunt, mænia propugnant classes dirimunt, aggeres perrumpere tentant. de his inquam non multa hic proferemus, partim quod illa peculiaris instituti sint, & possint sub inscriptione de telis concipi non incommodè: partim quod armamentariorum et conditoriorum promachinis, nec non naualium & naustibulorum adornationem exoptarim nouo & amplissimo encomio, in animos nobilium torneamenta non reprobantium, duce Frobeni, Christophero Cimberano comite infundi, omnemq; nobilitatem Germanicam ad armorum exercitationem contra tyrannicos incursus magis magisq; excitari inuitariq;.

Admonitio seu consil.

ADMONITIO SEV CONSILIVM ATQVE ITEM digresſiones Sam. Quicchebergi de vniuerſo theatro.



Voniam inter primas conſilij partes hoc proponitur, ut colligantur iſtæ claſſes omnes, cum tota adornatione aliorum etiam muſeorum, et bibliothecæ, obiter iam particularia quædã ſubijciam, quæ harum rerum cupidos, de conditionibus alijs quibuſdam admonebunt. Colligent ergo hæc theatra uel promptuaria ſeu conclauia rerum uarietatis, quiq; pro ſuarum facultatum modo ut eis lubebit. nec enim ita claſſes proponuntur, quaſi omnes omnia debeant comportare, ſed ut quiſq; de quibuſdam, quæ uolet, aut de ſingulis, quæ poteſt, conquirat. Poterit enim quandoq; tenuis fortunæ aliquis, pro loci ubi uerſabitur oportunitate, proq; ſuo propoſito ſtudio, uel diuerſas ſpecies ſeminum, uel metallorum, uel animalculorum, uel antiquorum numiſmatum, aut etiam imaginum copiam, etiam ſine grauibus ſumptibus, ſola diligentia inquirendi, & perueſtigandi utiliſsimè accumulare: Diuitibus autẽ et alijs excitatiſsimis in hoc ſtudio optimatibus, qui iam omnibus inhiant, neceſſe fuit hic omnia præſcripta eſſe: ut in enumeratione generali ſaltem nihil deſiderare poſſẽt. Deinde ita hæc in medium adducuntur: non quod putem ullius hominis, quãtumuis locupletiſsimi et diligentiſsimi ætatem ſufficere ad omnia colligendum, quæ ſub his claſsibus ſubinde latius diduci poſſint: ſed quòd uoluerim, tanquam Cicero perfectum oratorem ita hæc uniuerſa abſolutiſsima enumeratione hominum cogitationibus infundi: quibus magnitudinem cognitionis rerum omnium metirentur, adq; res iterum alias animo concipiendas et perueſtigandas excitarentur. Cenſeo enim etiam nullius hominis facundia edici poſſe, quanta prudentia, & uſus adminiſtrandæ reipublicæ, tãm

tàm ciuilis & militaris, quàm ecclesiasticæ & literatæ, ex inspectione et studio imaginum et rerum, quas præscribimus, comparari posit. Nulla enim sub cœlo est disciplina, nullum studium, aut exercitatio, quæ non sua etiam instrumenta ex hac præscripta supellectile rectißimè petat. Iam ergo diuino opus esset ingenio, quod hæc omnia sic undiq; componeret & ordinaret, ut succinctè & compendiosè conquisita cuiusuis non impoliti animum, in innumeris instruere possent. de quo tamen aliâs consilium saltem nostrum itidem dare non recusabimus. Hic etiam non refert sint ne loca spaciosa uel angusta, ubi hæc conseruentur: possunt enim in angustis riscis, aut armariolis, & cistellis, conuoluta aut complicata multa recondi, quæ alioqui in maximis parietibus expansa & amplißimis mensis aut gradatis abaculis exposita uix locum haberent Sed et hic meminisci oportet, præter illa armariola, cistas, riscos in parietibus, mensas, gradata pulpita: ad huc multa seruire horum usui posse receptacula. præsertim (qui suo loco nominabuntur) asserculi portatiles, cum fosis: item cistulæ portatiles cum quadratis alueolis: postea armariola cum ualuis: itidemq; libri cum ualuis excurrentibus: deniq; turriculata armariola artificij differentis atq; immensi argumenti. Quorum fit mentio infra in digreßione claßis tertiæ, inscriptionis quintæ: & digreßione claßis quartæ, inscriptionis quintæ. et claßis quintæ, inscriptionis nonæ. Optimates in his colligendis decebit habere homines ingeniosos quos ad diuersas regiones mittant, inquirendarum rerum miraculosarum gratia, & uiciſsim alij mediocris fortunæ, homines huius generis thesaurorum studiosi, nouerint quæ cum amicis poßint commutare, quibusq; rebus aliô transmißis alios ad diuersa remittendum poßint inuitare. Hoc quidem compendio quondam usus est Burgmarus pictor celeberrimus Augustæ, qui unus plurimos optimates ad eiusmodi studia potuit incitare. faciuntq; idem Norimbergæ aurifabri, et artifices alij præstantißima uarietatis conclauia iam demonstrantes. estq; hoc fere ingenium hospitum et inspectorum, ut quando alicubi tam multa uidet asseruari, ultrò præsentia offerant, et ad remotißimas terras pro-

Admonitio seu consil.

Admonitio ſeu conſil.

fecti aliqua ſecum aduehant, quæ uelint contemplatum theſaurum (ſuo muneri forte aſcripto nomine) decorare.

Eſt etiam quod moneam inter has theatri inſcriptiones, et muſeorũ ac conclauiũ delineationes, res quandoq; admodũ late patẽtes eſſe, quæ ex ſuo genere in longe ampliſsimas diſtributiones diduci deberent: ſunt etiam multa de quibus artificium colligendi et tractanti edocere conueniret, quibus equidem nõ paucis annis laboris ſatis impendi, impendamq; adhuc ſi fata aſpirârint: ut in pleriſq; non inanem nauaſſe operam uideri queam. ſed hoc huius commentarioli breuitas minime concedit, utendum ergo interim ijs libris philologorum qui in prompto ſunt, et non incommode officina Ioan. Rauiſij Textoris, donec tandem omnium penè materiarum ſpecialem enumerationem ſuppeditabunt Myriades ſuo loco noſtræ, ubi publice extabunt, Equidem ſi incipiam à genealogijs principio fere harum inſcriptionum poſitis, monſtrabo certam eas conficiendi formam, & limites quos ſequi quibuſq; inſiſtere conueniat: in effigiebus delineandis obſeruationes pictoribus non iniucundas à me annotatas producam: in alijs alia quædam à me diſtributa et obſeruata, ad multorum utilitatem, in medium proferre tentabo. præſertim primo quoq; tempore quæ de inſignibus familiarum armiſq; nobilium conſectatus ſum, prius recognita, nemini nobili aut literato denegabo. Sed hæc quidem omnia pro noſtri ingenij ſtudijq; modulo, nec ultra: omnino uero quantum nos iuuiſse poteſt, quòd poſt uaria muſea, et bibliothecas inquiſitas, inhabitataſq;, poſt multa emporia, et cõmitia frequenter uiſitata. etiam aliquot iam annorum profuit conſuetudo & aditus ad Illmi Principis Alberti Bauariæ ducis muſea, et imaginum incredibilem copiam pridem Monachij, et ante quoq; Landishutæ conquiſitam: quibus certè tàm in omnibus ſtudijs utor, quàm etiam ſenſibus intenſis inuoluor. Nam cum eius generis materias multas, quæ in hoc nominantur theatro, ab eo plane tempore colligo, quo Ingelſtadij ſtudiorum gratia uerſor, cogitoq; ſequentibus annis plurimos reges, principes ac optimates in fundandis ſapientiæ theatris, aut promptuarijs incitare, iamq; conſtituo muſeum

Admonitio seu consil.

um Cæsareum, cuius nuper Augustæ numismatum supellectilem inspexeram uisitare, accedit ut apud hunc principem Bauariæ ducem inueniam ea omnia, quæ dudum per certas classes commemoranda præparaueram, quæ etiamnum apud se Monachij regijs planè sumptibus, ædificijsq;, ut erit alibi dicendum, latè explicantur locupletanturq;. Est equidem ab hoc Illmo principe Alberto, præter maximum theatrum, his rerum classibus destinatū, recens etiam fundata Monachij bibliotheca, quæ libraria ducalis uocatur. Est et typographia noua constructa, ad maxima musica uolumina, cum Latina etiam grandi scriptura excudenda comparata. Est et insigne illud prælo cudendorum numismatum inuentum, suo loco conspicuum. Est et proprius locus musicis instrumentis communiter segregatus. Est amænissima officina tornatilium instrumentorum, à principe VVilhelmo, huius ducis parente, huic usui destinata, honorificè ab ipso Alberto rebus artificiosissimis adaucta. quæ omnia hic quoq; aliàs separatim, aliàs coniunctim animo concipi possunt. Inter quas uarias fundationes sua quoq; laus est ducissæ Annæ principis Alberti coniugi charissimæ D. Ferdinandi Imperatoris filiæ, quæ myrothecam et destillatoriam officinam eleemosynis et confortationibus, ut uocant, ex ea regaliter elargendis, tanto ornatu construxit, ut inter splendidissimas nouæ arcis structuras uenerint numeranda: ea quidem in hoc imitata Illmi Principis Alberti matrem Iacobam Marchionissam Badensem, quæ suam quandam pharmacorū thecam pridem domicilio suo, in qua uiduitatis annos, adiuncta sibi uidua Christophori baronis à Schuartzenberg Scholastica Nothaftin transigeret, deuouisset. In qua etiam ducissa matre, id quoq; commendandum est, inter theatri nostri obseruationes, eam peculiare quoddam conclaue excoluisse, effigiebus sibi cognatarum matronarum, et aliorum principum uirorū proxima sibi affinitate iunctorum: et aliquando uirginum quoq; laudatarum: unde et memorabilis illa consuetudo profluxit, ut omnes gynecei Bauarici uirgines, quæ quidem elocantur, aut recedunt simul depictæ conseruentur. Iterumq; hic ad cognitionis promptuarium

 attinet,

Digressiones.

attinet, quòd Domina Anna ducissa, à naturalium rerum indagatoribus, etiam antequam ego id uidissem, celebrabatur, dum in maximo auiario, plurimas auium species, ad rerum cognitionem eius studiosis acquirendam, diuina alit liberalitate. Nec quidem hæc obiter referens, ab ullo instituto theatri nostri digredior. Hoc enim si liceret, haberem longè alia largissimè commemoranda, scirem q; ego facile in quibus adeò uitæ sanctimoniam isthic, uirtutesq; diuinas plurimas commendare deberem: sed iam quæ ad has inscriptiones attinebant, quæq; hic continenter spectaui, & planè diuinè instructa animaduerti, obiter solum ad excitandos alios quoq; principes in medium adducenda putaui, donec ad uniuersos theatri titulos exornãdos, et in alijs etiam regnis huiusmodi museorum patronos peruestigandos, uberioribus adhuc peregrinationibus, quas paro, me amplius dedam, deuoueamq;. Quocunq; autem perueniamus, hoc sane de Illmo principe Alberto Bauariæ duce edicendum nobis, neminẽ unquam animo aut spe maiora, in exornanda patria Germania, artificijs & doctrinis omnibus euehendis, & (quod ad altiora atinet) Sacrũ imperium consilijs iuuãdo, suscepturum, qui sibi non illius industriam, sedulitatem, prudentiam atq; autoritatẽ proponendã putabit. Ego equidem ex omnibus rebus, quas mihi hic aut diuina bonitas, aut natura tribuit, nihil habeo, quod cum eiusdem principis beneuolentia et consuetudine, in quam me ab hinc annis sex hospitem asciuerat, possit ullo modo comparari.

DIGRESSIONES ET DECLARATIONES SECVNDVM ORdinem inscriptionum.

Inscriptionis uocabulo sic in theatro nostro utimur, ac si quis fortè rex, aut princeps, aut alius quispiam patronus ita res singulas collectas, ad certa loca inscripsisset, aut sic adhuc inscribere deliberasset. Quod enim hic consilium, in his rebus fundandis & ordinandis, dare potui, per inscriptiones potissimum quas unius propemodum formæ esse uolui, iam p̃misi: reliqua hæ supplebunt digressiones. Theatri etiam nomen hic assumitur non impropriè,

sed uerè

Digressiones.

ſed uerè pro ſtructura grandi,uel arcuata, uel ouali, uel adformā ambulacri,cuius generis in baſilicis,aut cœnobijs circuitus ab,ipſis, incolis uocantur,ad quatuor latera altis contignationibus extructum,in quorum medio hortus,aut cauedia ſit relictā(ita enim Bauaricum theatrum artificioſarum rerum ſpectatur)ut quatuor maximæ aulæ,ad quatuor cœli regiones,latiſsimè pateant. unde et accomodari aliquo modo amphiteatri nomen ipſi poſſet. Monere hic oportet Iulij Camilli muſeum ſemicirculo ſuo,rectè quoq; theatrum dici potuiſſe: alij uero hoc nomine uſi ſunt metaphoricè,ut Chriſtophorus Mylæus, Conradus Lycoſthenes, Theodorus Zuingger,Guilelmus de la Perriere,et fortè etiā alij, quando ſic conditiones uitæ humanæ et ſcribendæ hiſtoriæ doctrinam,et cæteras res tractādi ac memorādi, nō autē ſpectādi ædificij,et rei, quæ in eo agatur,aut proponatur amplitudinem,libros quoſdam pulchrè tamen, inſcripſerunt.

In prima Claſſe.

Tabulæ ſacrarū hiſtoriarum.&c.Inſcriptione.I.

Præmitto hic ſacras tabulas eaſq; ſelectiſsimas: ſiue alicui ſit una præcipua, ſiue duæ, uel plures : ut à diuinis potiſsimum initium theatri uel promptuarij ſumatur. Subiungimus autem fundatoris ſtatim genealogiam,et effigiem, & alia, quibus hic aliqua debetur prærogatiua.alioqui poſt claſſe quinta ſequuntur quorumlibet illuſtrium et clarorum genealogiæ et effigies indifferenter collectæ. Pulchrum autē erit in genealogijs, et effigiebus, alijſq; fortè rebus(ubicunq; demum reponantur)ut principes et optimates,alij alijs ſuas egregiè depictas,in eiuſmodi mittant imaginum promptuaria conſeruanda. Porro quòd ad totum ordinem attinet ſpero eum ſatis plauſibilem iudicatum iri: nec enim hic philoſophis res naturales omnes ad amuſsim,cum ipſa natura partimur ſed principibus, in quoſdam non difficiles ordines, res pleraſq; aſſeruatu iucundas ſegregamus. Nec enim iam etiam licuit ſecundum VII. Planetas ſingula diſtribuere, ut facere potuiſſent Vitruuium & Camillum imitando, cum ordo facilior

ſecundum

ſecundum formas rerum debuerit exhiberi: eiuſmodi autem aliquid in libro de inſignibus apud colores ſum prolaturus. aut citius forte, ſi oportunũ uidebitur in libro de facilibus methodis, qui ferè ſolum ad typographos Europæ inſtituentur: nouerint enim inde illi quoq; methodicos indices librorum, cuiuſcunq; offerantur argumenti eosq; planiſsimos et utiliſsimos contexere.

Genealogia fundatoris theatri. Inſcr. II. Iam præcedente digreſsione de hac genealogia, & de contiguo titulo effigierum, quare præponantur, diximus abunde: ſed et alio loco plura de ijſdem admonemus: ut claſſe quinta: inſcriptione quinta. Hoc fuit ſignificandũ ne ſi forte Mercurij ductu, ante tibi occurrente, de his quæreres et tamen à uia abarrares.

Geographicæ tabulæ, quæ et mappæ. Inſcri. IIII

Hic etiam titulus geographicarum tabularum bis proditur in noſtro theatro: ſed ſecundo tantum ſub imaginum promptuario: ubi non adduntur mappæ grandes ſed ſolum ſingulæ paginæ, ex æreis laminis excuſæ. Atq; hic rectiſsime nobis offertur occaſio explicandi differentiam inter THEATRVM, quod infinitum et immenſum illud inſtitutum noſtrum eſt, materias, ſupellectilem, imagines, libros & cætera colligendi: et inter PROMTVARIVM IMAGINVM, quæ eſt quaſi quædam theatri pars, uel muſeum, uel aliquot arcæ, aut thecæ: quæ continent ſolum ea folia, quæ incredibili numero ex æreis laminis cuſa, ad unum cumulum comportantur, et explicatim iacentia forte in thecis aſſeruantur: ubi tamẽ licet eſſe quædam etiam ex ligneis formis impreſſa, aut manu picta: modo non ſint communibus uel regalibus maiora. Quando enim folia locuplete numero in mappas ſunt combinata, aut forte latè conuolunta, uel in tigillis expanſa, tum ſub totũ theatrum ueniunt inſcribenda: non ſub titulis promptuarij imaginum. Itaq; ſcietur facilè totum promptuarium imaginum ex una ſolum magni theatri inſcriptione pendere, cum reliquis inſeritur hoc modo: IMAGINES EX AERE IMPRESSAE. tamen

meminiſci

meminisci etiam oportet (si eius sit amplitudo consideranda) non minus in toto theatro præstare, quàm si singularis aliqua bibliotheca seruiat eidem.

Animalium grandes picturæ &c. Inscrip. VIII.

Fortè mirentur aliqui, quare has non transferam ad classem tertiam, ubi exiccata animalia asseruata dicuntur, sciant ergo illi, ibi tantum esse materialia, et ea quæ in cistellis ferè sunt asseruanda: hic uero picturas esse in parietibus longè lateq; extendendas: ut apud alias magnas imagines, locum suum habere debeant. Cæterum in regijs principum Germanorum, arcibusq; magnatum, multa eiusmodi in ipsorum cœnaculis, aulisq; depicta conspiciuntur.

In secunda Classe.

Fabrilia artificiosa. &c. Inscri. II. Item. Artificum opera. &c. Inscr. III. Monere hic uolui posse quasdam quasi perforatas turriculas, aut perspicuos arcus uel portulas, gradatosq; abaculos, diuersi artificij inueniri, ut omnis generis artifices, ex singulis quas tractant materijs, sese in eiusmodi differentibus inueniendis exerceant, quæ in theatrum, ad certas mensas, aut fenestras, circum circa disponantur: in hoc ergo consilium erat meum, ut quemadmodum de picturis casse. V. inscriptione prima et secũda moneo, ab omnibus excellentibus pictoribus in theatrum inferendis: sic etiam à singulis fabris lignarijs eiusmodi turriculata scrinia, aliquo ingeniosissimo opere ornata inferri deberent: imo ut singulis ligneis alia quædam differentis materiæ interponerentur, ut facta à fabris ferrarijs, à fabris orichalci, argenti, stanni, &c Item à tornatoribus, à sculptoribus, à lapicidis, ab acupictoribus, uitriarijs, laminarijs, et cæteris quibuscunq;. Quibus ita ad mensas dispositis, sufficerent instar armariolorum, in quorum portas, ac fenestras, ut ita uocem, liceret libros, uel cistellas minores, uel uascula uel statuas minutas collocare ac dispensare.

Vasa peregrina. &c. Inscr. V. Ibi dico de antiquis etiam uasis de quibus admirandum est, quanta eius generis ad huc

integra, etſi minuta, contigerit homibus diligentibus comportare. ex terra non nimium maximis lapidibus preſſa, apud antiquas ruinas & hypogeis inuenta. Addo autem ibidem etiam FORMA DIFFERENTIA. ut obiter quibusdam ſuggeram, noua poſſe figulina exiguo precio confici, quibus nomina ſua uera, & antiquitus incredibili differentia uſitata, liceret adinuenire, unde laudem quoq; non tenuem in Latinæ linguæ commoditatem, accideret aucupari.

Menſuræ, pondera &c. Inſcr. VI. Quantum hæc cõtuliſſe in unam capſam, afferre poſsit intelligentiæ, perſpicuitatis ornamenti, quando noua cum ueteribus, & noſtra cum peregrinis ſunt conferenda, cuilibet bono, & alacris ingenij uiro reliquo cogitandum. Imo ſcio multos, eosq; priuatos homines, nedum aulicos & ſatrapas in his colligendis, quæ in toto ſunt titulo, quæ non magno conſtent, operã nauaturos fuiſſe: modo ab ullo mortalium aliquando fuiſſent commonefacti. Ita eſt etiam de alijs titulis quos repetere non puto operæprecium.

Numiſmata vetera et noua. Inſcrip. VII. Ecce hic titulus, quod ſaltem ad antiqua attinet, ſub quo tot magnos homines noſter Hubertus Goltzius, quem maximè imitari ſtudeo, commẽdauit. Sed ego ſimul de numiſmatis nouis, nouã propono, ĩter reliqua ſtudia, gloriã ab ornatiſsimis et nobiliſsimis quibusq; cõſectandam. ſcilicet in numiſmatis per Europam à regibus, principibus, epiſcopis, comitibus, baronibus, ciuitatibus cuſis: ubi familiæ quàm plurimæ, et ſingularũ inſignia honorarentur, et ſucceſſio legitima conſtaret: precium quoq; accuratius inquiſitum, rem orbi Europeo (quantum in hac parte deeſſet) pacatiſsimam, et conſociatiſsimam redderet. Qui uolet non in omnibus laborare, ſaltem ſuæ reipublicæ, aut ducatus aut epiſcopatus exornet.

In tertia Claſſe.

Animalia miraculoſa. Inſcrip. I. Vniuerſa hæc

claſsis;

classis, ab animalibus statim incipiendo, planè est rerum naturalium, et materiarum uniuersitatis. In his solum rebus colligendis scimus maxima ingenia esse occupatissima: tùm in Germania, tùm in alijs locis, et non nulla felicissima in Saxonia. Vtinam uero aliquos liberalius iuuarent ij qui eiusmodi uarietatibus abundant. Quis enim non uoluisset Conradum Gesnerum in animalibus colligendis, Leonhardum Fuchsium in stirpibus depingendis, Georgium Agricolam in Metallis describendis, & alios in alijs, ubi quid alicui occurrebat iuuare? quis non itidem principes, Maximilianum II. dum imperatorem, aut Albertum Bauariæ ducem eiusmodi ad uniuersi orbis exornandam elegantiam et disciplinas omnes illustrandas conquirentes, nō summo studio cupiat rebus apud se passim obuijs locupletare? possunt in hoc (ut dixi) priuati homines sese alterutrū iuuare, quanto magis reges principesq;? Sumamq; ad huc aliud exemplū præter nostros Germanos. Vlyssis Aldrobandi Itali, cuius in his omnibus incredibili numero asseruandis, labor semper comendandas comendatusq; mihi fuit ferè adolescenti: donec in uirili ætate, ipse eum museumq; suum Bononiæ uisitarem: tum certè omnia longè maiora, quam ante audiueram meis oculis spectaui: uidiq; eum in naturalibus prorsus nihil omisisse, quin uel per particulas quædam, aut exicca aliqua tota animalia, uel saltem ad uiuum depicta (ut in piscibus facere consueuit) conseruaret. Sed commendent quæso alij quantum ex asseruatis alicubi multis rebus, iucunditatis accedere colloquijs principum, quantum lucis harum rerum inquisitorum commentarijs obtingere posit. nam multi, qui in eiusmodi studijs uersantur, non habent copiam ista colligendi: multi etiam studiorum gratia peregrinantes, non possunt ualdè multa, si modo habent, secum circumferre. Vtinam ergo sint plures, qui simul plurima colligere non grauarentur. Ego equidem quàm primum antiquis numismatis aliquid tribuere cœpi, etiam à monetis nouis non abstinui, sed nec â materijs metallorum & lapidibus preciosis, mox et ab ingeniosis sculpturis, et artificiosis

picturis, et præcipuè ab animalium particulis, et ſeminibus, herbiſq́;, medicorum adiutus cõſuetudine, colligendis nolui: ulla ipſorum multitudine abſterreri: quin quæ poſſem omnia colligerem ut plurimis ſtudioſis non in paucis gratificarer, omneſq́; præſertim philologos, in ijsdem cõquirendis incitarem. Atq́; hæc, ut uerum fatear, eò ardentius quòd indignum putarem, me in hoc uinci ab aurifabris, pictoribus, ſculptoribus, et alijs ferè illiteratis: et quidem primis annis Auguſtæ Cypriani Schalleri probatoris auri, et Iohan. Schuembergeri aurifabri apparatibus in longè pluribus, quàm ante colebam incitabar alliciebarq́;.

Semina, fructus, legumina. Inſcr. V. Quæ ſingula faciunt capſularum ordines diſtinctos. Capſulis autem uti conſueuimus qualibus utuntur gemmarij, ubi pro ſingulis gemmis, in ſolido ligno, ſingulas foueas habent, quibus inſerantur: ita tamen ut ſinguli aſſeres foueas habeant plures, et cuneatim aliquot eiuſmodi aſſeres alij alijs ſuperinducantur nos Germani totas capſulas portant, ledlein uocamus: in his ſi ſint capaciora foramina ſatis multæ materiæ imponi poſſunt: præſertim ſemina, legumina, frumenta, lapidumq́; fragmenta minuta. &c. Nam ad fructus, qui etiam in uniuerſa rerum natura, peregrini non pauci acquiri poſſunt, etiam ex tabernis pharmacopœorum, maioribus capſulis et aſſerculis, ſubinde quatuor combinatis unde quadrati alueoli fiunt, haberi poterint.

Gemmæ, lapidesque. Inſcr. VIII. Si quis hic ignoret, quàm ſit hoc ſtudiũ refertũ omni iucunditate, quamq́; ſit ſtudium locuples nominum uarietate, adhibeat ſanè harũ rerũ ſcriptores, Marbodeum Gallum, Pictorem Villinganum, Conradum Geſnerum & alios, obſeruetq́; quanta illi, et qualia etiam quiſq́; ſibi ex Plinio, et alijs antiquis autoribus elicere nomina poſsit.

In quarta Claſſe.

Inſtrumenta officinarum: Inſcr. V. Equidem hoc ſeculo in his colligendis, artifices Germani non pauci eô deuenerunt,

runt, ut uno portatili ſcrinio (quod fermè unus homo ferre poſſit) includere auſi ſint omnia fabrilia inſtrumenta quibus horologiarius, faber ferrarius, lignariuſq; , quibus aurifaber, cœlator, ſculptor, tornatorq;, quibus bractearius, laminarius, bombardarius et alij adhuc artifices non pauci utantur. Nec quidem ita ut ſinguli aliqua, ſed omnes omnia neceſſaria ibi reperiant: modo capulis, ac manubrijs paucis ad plurima inſtrumenta, arte ibi conſueta uti & diuerſè adaptare nouerint. Ita decuriæ integræ ſpectantur limarum rotundarum, magnitudine differentium, decuriæ limarum planarum, decuriæq; mediatarum. Item decuriæ integræ terebellorum, cæſtrorum, malleorum, et omnium aliorum inſtrumentorũ neceſſariorum. In quo genere animaduerti, quam iucundum ſit artifices ſingulos uiſitare, eorum opera miranda contemplari, et quandoq; nomina, Germanica cum Latinis conferenda, et accommodanda perueſtigare. Plurima autem eiuſmodi ſcrinia omnis generis inſtrumentis infarcta ſic inſtrui ſolere, teſtimonio ſit, quòd non pauca quotannis ex noſtris hiſce terris in Hiſpanias uſq; ſic tranſuehantur. quemadmodum ab Antonio Maiting mirifico ſtudio principibus comitibuſq; Hiſpanis ſcio procuratum. Monſtraui autem etiã in his inſtrumentis, per ſcrinia ciſtaſq; diſponendis, quomodo ex aliquo tali ſcrinio, aut ciſta adminiculo ualuarum excurrentium, aut aliarum tabularum plicabilium, omnia inſtrumenta, pulchrè diſpoſita, in momento ad aliquem parietem, aut ſuper menſam uſui adaptari poſsint, quomodoq; iterum in eam æque repentè & commodè, ut alterutrum minimè fricent hebetentűe, reponi queant. Id autem non aliud eſt, quam ut habeantur ualuæ, uel thecæ eiuſmodi, qualibus in phlebotomis Germanorum ſecum geſtandis chirurgi utuntur. dum quidem theculas libellorum inſtar habent ſerico uilloſo ſuffultas, et uncinatis tigillis diſtinctas, per quæ ſingula inſtrumenta ab alteris modicè ſeiuncta hæreant, fixaq; conſiſtant.

Tela gentium peregrinarum. Inſcr. VIII. Arma refero hic qnoq; diuerſiſsimi et commodiſsimi uſus: ad peregrina cum noſtris et uetera cum nouis examinandum. Hic erunt etiam

Digresſiones.

ill, aquæ ex antiquis monomachijs, et pugnis auorum noſtrorum memoria aſſeruantur, ut quidem nihil eiuſmodi, etſi dudum obſoletum, à nobilitate etiam noſtri temporis debet ignorari: imo ad omnia tractanda, quàm promptiſsima et exercitatiſsima debet inueniri. ut nihil tàm antiquum, tàm nouum inter aulicos, ubi ſimul multi habitant, proferri poſsit, ut nō aſsint, qui ex quolibet genere aliquid ſaltem pertractarint, uſurparintq́ꝫ. equidem in his ipſis nihil fuerit tàm rarum, tamq́ꝫ peregrinum, quod nouiſſe nō ſuam quoque afferet utilitatem. Iaculandi autē ars nunquam debebit præteriri: in qua ex promptuario noſtro inuenies, neq́ꝫ id omnino nouum: et ex baliſtis globos, et è contrario ex bombardulis ſagittas, in ſuum quendam uſum, iaculari quoſdam adinueniſſe et introduxiſſe.

Veſtitus peregrini. Inſcr. X. Ibi admoneo etiam minutarum formularum, inſtar puparum: quales ſolent inter ſe reginæ ac principes, ad peregrinas ueſtes exterarum nationum pulchrè examinandas, aliæ alijs tranſmittere, cum quibus quandoq́ꝫ ipſi gentium mores occurrunt obſeruandi: dum in ijs pupis exprimitur: quis habitus domi, foriſq́ꝫ: quis hyeme, & æſtate: : quis in templis, & conuiuijs: quis nuptiali, aut lugubri tempore: præſertim à nobiliſsimis adhibeatur. Accidit et ueſtitū domeſticum, apud principum filias, ſibi uſitatum in memoriam quandam diuturnam minutis formulis aſſeruari: cuius generis quidem, cum exili et plurima argentea ſupellectile, habebantur apud Dominæ Annæ duciſſæ Bauariæ et Alberti ſui chariſsimi coniugis filias, Mariam, & Mariam, Maximilianam, aliquot centuriæ, et maiore adhuc numero, apud neptes duciſſæ matris, ex Mechilde filia marchioniſſa Badenſe, Iacoben et Salomen, quæ domeſticorum officiorum et actionum tanto ordine diſtinguuntur, ut quiſq́ꝫ ſingula inſpiciens, omnia regiæ cuiuſdam conclauia, et pompas aulicoſq́ꝫ mores ad unguem tenere uideatur. Sed & peregrinarum telarum particulis aſſeruandis licebit aliquos inter hæc delectari.

In

In Quinta Classe.

Picturæ oleaginis coloribus. Item Picturæ aqueis coloribus. Inscr. I. et. II. Non debet hic præteriri, quin edoceantur optimi patroni, quantopere suum in honorandis illustribus picturis amorem declarauerit VVilhelmus Bauariæ dux pater ducis Alberti prudentissimus, et pacis amantissimus princeps. nam in hortũ suum Monachiensem maiorem, præstantissimorum in Germania pictorum, singula opera mirificè eorum ingenijs excitis, dum singulis certarum tabellarum magnitudinem transmittit, contentione quadam honesta pingi curauit, quas adhuc quidem summa cum ueneratione homines peregrini, Monachium summo cum desiderio, ob urbis amoenitatem perlati, contemplantur admiranturq;. Atq; ita amor ille rerum præstantissimarum artificiosarumq; propagatus est etiam in eius filios, atq; nepotes: hos autem nepotes ne hoc loco præteream, duces inquam VVilhelmum, Ferdinandum, et Ernestum, ut omnibus rebus alijs, quæ principes regiæ uirtutis obseruantissimos, ingenio excitatissimos sequi decet. ita et literarum et doctissimarum picturarum promotores benignos, summopere debeo hac ætate admirari atq; laudare: cuius rei certissimum exemplum extitit, quod ipse dux VVilhelmus uirtutum præstantia, et corporis, iam statura heros eximius, sua manu, stylo celerrimo, etiam ferè ante adhibitum magistrum, ornatè pugnas exemplaq; historica præstantissima pingeret, et in cupreis laminis exararet. Quem quia strenue in omni exercitatione liberalissima et celsissimi animi conatibus imitantur eiusdem fratres, maximè Ferdinandus geographicis, Ernestus sacris diligentius in uigilando, dignum est, ut omnes imperij principes ipsi Alberto tanto parenti, tantos filios summè gratulentur.

Imagines ex ære impressæ. Inscr. III. Ignorabunt fortè aliqui studiosi, harum peculiarem solere instrui bibliothecam quam promptuarium imaginum uocari receptum est, id ergo iam ex subsequentibus titulis sunt deprehensuri. Quamuis ut

Digresſiones.

facere ſolent perſpicacisſimi, & prudentisſimi quiq;, non in libros illa compingunt, quæ in ſuo genere magnis paginis ſola imprimuntur, ſed perpetuo locupletando, in latisſimis thecis expanſa, ſub certis ſuis titulis conſeruant, ut intra ſolutas membranas ſuis inſcriptionibus diſtinctas, non aliter ac ſingulos libros continent. ac tantum & quibus non eſt animus ſua amplius locupletare, ſemel certis claſsibus annumerata, et cõpacta in libris, inter hæc reponunt. Subinde ergo huius inſtituti faſciculi et materiæ à diligentioribus patronis adeò augentur, ut quam plurimarum diſciplinarum ex his ſolum imaginibus cognitio acquiri poſſe uideatur, plus enim quandoq; præſtat memoriæ inſpectio ſolum alicuius picturæ quam diuturna lectio multarum paginarum. Multum ergo paulatim per has literis commodabitur, ſi modo ſic pergant Belgici atq; alij pictores atq; ſculptores orbem noſtrum ſuis operibus locupletare. Vt autem hîc ad omnium eorum qui hæc colunt, utilitatem liberius digrediamur. picturas omnes hactenus in regiones & titulos ſuos ſic diſtribuimus. In prima regione ſũt: Primo Biblicæ hiſtoriæ. II. Noui teſtamenti hiſtoriæ. III. Apoſtoli & Euangeliſtæ. IIII. Sancti et ſanctæ. V. Theologicæ inuentiones. VI. Chriſtianorum hiſtoriæ. VII Miracula. VIII Expeditiones. IX Effigies. X. Genealogiæ. In Secunda regione ſunt: Primo naturalia. I animalia, ſtirpes, anatomica &c. II. Philoſophicæ inuentiones. III. Diſciplinarum & mathematicæ, artificiorumq; chartæ. IIII Muſicæ chartæ. V. Hiſtoriæ ãtiquæ profanæ. VI. Poëtica et amores deorum. VII Ludicra et impudica. VIII Spectacula et triumphi antiqua pleraq;. IX. Ritus noui: uenationes, geſtus, feſta, exercitia gladiatorum, et artificum diuerſorum. X. Veſtitus & habitus picti. XI Inſignia familiarum. In tertia regione ſunt: Primo Geographicæ chartæ. II. Proſpectus regionum. III. Vrbes pictæ. IIII. AEdificia et architectura. V. Antiqua monumenta. VI, Numiſmata antiqua et noua. VII. Machinæ et naues. VIII. Fabrilia IX. Supellex uaria X. Vaſcula. atq; hæc omnia picta. XI. Ornamentorum formulæ. diuerſisſimè etiam pictæ. Hactenus tituli principales: ſed multi

multi in species, atq; adeo nobis in thecas plures subducidun=
tur nam biblicorum facio satis grandes sectiones tres, aut quatu=
or: diuidendo in biblica priora, biblica media, biblica postrema,
et biblica in libris singulis separatim editis. Sic diuido noui testa=
menti iamgines in Natiuitatis picturas, et ei proximas: in euan=
gelia: in passionem, et passionem secuta: demum in acta Aposto=
lorum, et apocalypsim postmodum sunt apud Apostolos et E=
uangelistas formulæ etiam Saluotoris, Trinitatis & Mariæ apo=
theosis. Item sic diuido Geographicas chartas, nec quidem im=
pedire quenquam debet, quod sint segregatæ hic grādes mappæ,
quæ in tigillis expansæ parietibus fortè appenduntur, aut aliâs
maximæ uolutæ apparent cum illæ in peculiari inscriptione the=
atri maneāt, diuido inquam has in Vniuersales, in Marinas, in Eu
ropeas, in Germanicarum regionum chartas, in regnorum tabel=
las, ut Italiæ, Galliæ, Hispaniæ, Angliæ, &c. Vbi sub suis undiq;
regnis etiam adiunctæ insulæ intelliguntur. Ornamenta quoq;
diuido in thecas plures: ut in ornamenta dicta Frondosa: ut in
ornamenta dicta Compartimenta: ornamenta dicta Grotesca,
ornamenta dicta Belluata. Item alia tropheata, fruticosa, mixta.
&c. quomodo saltem diuisi inter imagines Illmi principis Alber=
ti Bauariæ ducis, qui horum omnium maximam copiam pridem
adhibito Mathia Schalling conquisiuit. Ita de urbibus pictis fa=
cile est ei, qui colligit quæ usquam prodeunt omnia, animaduer=
tere, quòd thecas faciant plures: quas ad rationem Geographi=
carum chartarum pulhrè nouerit separare.

Genealogiæ vndequaq; amplissimæ. Inscr. V.

Si quis hîc fortè ambigat, quare iterum genealogiæ ponantur,
cum iam ante classe prima occurrerint aliquæ: & aliæ iterum no=
minentur in toto imaginum promptuario, sub inscriptione tertia
classis primæ: ubi sunt: IMAGINES EX AERE IMPRES=
SAE. Sciatur de priore inscriptione rationem reddi in digressio=
ne omnium prima, sub titulo TABVLAE SACRARVM &c.
De eo uero quòd inter titulos promptuarij imaginum ex æreis

Digreſsiones.

laminis cuſarum, etiam genealogiæ ponuntur: ſciendum eſt: ea ſolum ibi locum habere, quæ inter ſolida folia explicatim iacentia diſpenſantur. reliqua enim quæ combinantur. uel in tigillis expãdũtur uel in longis uolutis recondũtur, referri rectiſsimè ad totũ theatrum Similis eſt ratio Geographicarum mapparum. apud quas etiam hoc ferè modo, ſed latius ſum digreſſus: quod etiam à me petitũ fuit, ſuperioribus annis cum in alijs locis tùm Venetijs ubi uiri docti manuſcriptum exemplar theatri noſtri cõſpexerunt.

Inſignia nobilium familiarum. Inſcr. VII. De his admonebo alio loco, quomodo per ſingulos imperij circulos, et ducatus, archiepiſcopatus, &c. familiarum inſignia colligi debeant: cuius rei interim exemplum ſit præter ea, quæ ad latera in geographicis mappis aut calendarijs quandoq; apponuntur, peruenuſtè in Belgio ædita aquila imperij membrorum inſignia continens. ex æreis formis impreſſa, Item Hannoniæ procerum et nobilitatis uniuerſæ inſignia in latiſsima charta ex ære impreſſa: VViritzburgenſium nobilium ſeu Francnoiæ Orientalis charta minus lata. Maiori iterum forma extant nobiles quondam tabulæ rotundæ apud Angliæ regem, cum inſignibus annotati, quam ſolum à Petro Obernburger Alberti principis conſiliario antiquiſsimam nanciſci potui Laudabilis in hoc ſtudio irrepſit conſuetudo inſignia amicorum cum inſcriptis ſymbolis in certis quibuſdam libellis colligere: & quidem meas chiliades inſignium ex eiuſmodi libris ſæpe adauxi, ut hic nuper quoq; egregiè ex libello Heinrici à Taufkircha in Hoherain nobiliſsimi uiri, cum ex Gallia in patriam Bauariam redijſſet. in quo utinam reliquam nobilitatem, quæ quandoq; torpet otio, ſatis fœliciter incitare poſſem.

Sententiæ et Gnomæ. Inſcrip. IX. In his paſsim inſcribendis uelim Germanos heroes paulo eſſe liberaliores. cum in eis maieſtas aliqua eſſe poſsit, præter alia commoda multa. Si qui ergo non nouerint Romanarum antiquitatum diuerſi uſus inſcri-

ptiones

ptiones imitari,quæ ſingulæ offerunt certè in ſuo genere alquid accuratum, ſequantur ſanè philoſophos, & ſcriptores diuinos plurimos, qui non obſcurè in uitæ diſciplina Inumera ad hoc ſuggeſſere: aut imitentur eos, qui in monaſterijs undiq; ad poſtes ſentẽtias inſribere conſueuerunt. item præceptores Bohemos, qui natura ſtructuræ ſuæ moniti ſcholarum & conclauium undiq; maceriꝫ as trabesq;, tigillis leuigant, inq; earum patulis iamq; ſolidatis cõmiſſuris undiq; ſententias maxima elegantia inſcribunt. Theatra uero aut promptuaria, quæ ego principibus prodo, in ſuis parietibus poterint ad tabulas omnis generis extendẽdas habere circũ circa iuſtæ magnitudinis ualuas, quæ hic ut ſolet in altaribus pleriſq; fieri, aperiatur: ut bis terue faciem nouam oſtendant. Interius ergo fuerit aliqua rerum claſsis: ut effigies, & picturæ oleaginis coloribus: in medio fortè genealogiæ ſpectaculaq; aliqua: demũ exterius fortè mappæ, urbes, animalia &c. aut aliæ ſimpliciores picturæ expeditionum ac proſpectuum in telis aqueis coloribus depictæ: Vt quotiescunq; inſpector aliquis, picturas externas circũeundo perluſtrarit, reuerſus ad principium, faciem inueniat nouã: famulo aliquo interim parietum ualuas obuertente. atq; ita de reliquis. Niſi & cortinas aut uelamina lubeat circumducere, quæ & ipſe non niſi aliquid theatro conueniens, aut eruditum debebunt continere: nam an & ſcripturæ aliquæ cortinis inſcribi debeant iã non diſſero. Delectabitur autem etiam hic fortè aliquis ſcripturæ uarietate: ut in his inueniẽdis Germani non ſunt inconditi, eas admiſerim quidem diuerſiſsimos proferri, ita tamẽ, ut totidem ſcripturæ Romanis literis factæ, reliquis quomodocunq; uariantibus, tanquam per uices, interponerentur, ut Latinis præcipuus honos relinqueretur.

Repoſitoria vndiq; in promptu. Inſcrip. X.

Hic ſũt õnia, quæ quoquo modo ſeruire debent rebus & materijs, & imaginibus prædictis. Primo itaq; ſũt maiora cõditoria, quæ

Digresſiones.

mox in ſe recipiunt minora, ac quæuis ſcrinia portatilia, paruaſq; fiſcellas, quales ferè ſub ipſa inſcriptione nominātur ac plura forma ſolùm differentia poſſent excogitari. Suntq; inter minora præcipuè conſiderandæ capſulæ gemmariæ, quæ ſub inſcriptione quinta claſsis tertiæ dicuntur ubi SEMINA, FRVCTVS LEGVMINA inter digreſsiones explicantur. ſunt et ibi nominati alueoli, qui ferè apiarios alueolos imitati uidentur: quorum itidem quam plurimi diuerſæ capacitatis ſunt coniunctim in promptu habendi. Deinde ſunt in præſenti inſcriptione nominata armariola, ad formam arcuum triumphalium, & turriculorū, & pyramidum: ea igitur erunt eius ſolum fortè molis, ut baiuli duo geſtare unum queant. Alioqui hic nō nocebit etiam antiqua templa rotunda & alia imitari, itemq; theatra atq; adeò ipſa orbis miracula priſcis temporibus celebrata, quantum ex eruditorum architectorum ingenijs delineari poterint: dummodo ſint ita cōcaua huic uſui comparata, ut eorum aliquæ partes depromi, aut aperiri, ac denuo recludi poſsint: quô recipiant in ſe ea omnia, quæ eis rectè aſsignaris: omnino uero ut armariorum pulchram ſuggerant uarietatem. Ea quidem orbis miracula, ut ſunt à diuerſis diuerſè enumerata, & auctiore tandem numero prodita (Baptiſta Mantuanus enim inter ea templum Solymorum, & Romana theatra præcipuè habenda, carmini alicui ſuo inſeruit) obiter ad ſeptem Plenetas aſtringendo, quæuis occurrentia indubitatè tamen pro eis agnita referemus. Itaq; ſub Saturno, ſunt: pyramides AEgyptij, Mauſolea quæcunq;. ſub Ioue: templum Dianæ, ſimulachrum Iouis, & regia Cyri. ſub Marte: muri Babylonis. ſub Sole: arcus triumphales, et coloſſus Solis. ſub Venere: horti penſiles Thebarum. ſub Mercurio turris Pharia noctiluca, et ingentia theatra Romana. ſub Luna: thermæ Diocletianæ, & aliæ, & portus maximi, naualiaq;. Quòd autem nouorū orbis miraculorum inſtituendorum primus autor exortus ſit princeps meus Albertus dux Bauarus, ſuper libros ſacrarum imaginum priuatim principi aliquot chiliadibus manu Iohannis Muelichij Monachienſis pictis, mihi uideor non tenuiter attigiſſe. cui accidet illos uidere,

los uidere,ob eos ipsos theatrum miraculosum putabit magis celebrandum. Cæterum ipsorum repositoriorum, & quasi uasculorum ac thecarum fit etiam mentio ferè principio inter Admonitiones,& super secunda classe Inscr. tertia,ubi FABRILIA ARTIFICIOSA OPERA explicantur. Sed et his omnibus si parietes cum excurrentibus ualuis,in digresione, quæ iam iam præcessit indicatis,accedant,habebis facilè omnia, quæ ad repositoria et loca theatri pertinere uidebuntur.

Hactenus ergo digresiones quas ideo peculiari adieci loco,ne inscriptiones,quas concisas, et suis quasi limitibus circumseptas esse uolui, ullis liberioribus digresionibus fœdarentur. Atq; in hoc fortè habebunt aliquando quod imitentur ij, qui à nobis de ratione scribendi libros aliqua expectant.Sed & ijdem agnoscant studiosè id factũ esse,quod hic in angulis externis,seu marginibus superioribus uocabula paucula,de ijs rebus,quæ in occurrentibus paginis continentur ascripserim: quæ etiam uariant,ut aut semel, aut bis in patulis libris,pro rei necesitate apponãtur. Dum enim coronidalis titulus,id est,ea inscriptio,quæ in supremo est paginæ spacio, non debet carere principali titulo totius libri, aut etiam nomine autoris (quod prodest ad libros quomodocunq; dissolutos facilè colligendos) hi saltem anguli administrent paginarum argumenta: maximè ubi non sunt tractationes in capita distributa: aut ea capita sunt adeo prolixa, ut pagellas uoluendi non statim quæsitæ materiæ occurrant. Patior autem typographos huiusmodi marginales titulos suo quodam modo concordantiales titulos uocare: modo à coronidalibus titulis in medio sitis discernantur. Porro non omnes etiam inscriptiones sumpsimus explicandas, quòd singulas pertractandi aut dilatandi nunquam finis esset futurus. siquidem ea adsunt omnia,quæ uniuersa natura compræhendit, quæ omnes libri docent, quæ tota uita humana suggerere potest: nulla enim disciplina disci, nullum artificium considerari, nulla uitæ conditio mente concipi potest, quæ non habeat hic sua fundamenta,instrumenta,adiumenta,documenta. Ei igitur candidato cui in eiusmodi theatro quale utiliter fundari

De imperatore.

iam consului, uersari aliquandiu concedetur, si rebus præsentibus omnibus ascripta sua nomina (loco & linguis ubi uersandum erit necessaria) intuebitur, si ad quas delegerit classes rectè intelligendas non uenerit planè rudis, sed quandam discendi methodo īstructus, hic quæ cognata, differentia, contraria, aut in reliquo subiecto consideranda examinarit, abesse non poterit, quin breuissimo tempore sine magno labore, & periculis molestijsq;, quæ alioqui in peruestigatione rerum tollerandæ forent, incredibilem omniū rerum peritiam, & diuinam planè prudentiam acquirat. Nam dū reliqua omnium disciplinarum communia instrumenta sint libri: hic ex obtutu picturarum, ex inspectione materiarum, & apparatu instrumentorum uniuersitatis, quibus mox partitoriæ tabulæ, ueræ synopses habendæ, subseruiunt, omnia fiunt apertiora atq; dilucidiora. quamuis nolo hic etiam obticere arithmologias, ad hanc rem carmine collectas pertinentes: si & illæ adhibebūtur, quātum allaturæ sint hic emolumenti. Tales quidem Gerhardi Fausti antè aliquot annos non paucæ uisæ sunt, & iam prodeunt subīde Antuerpiæ non paucæ ab Hadriano Iunio, apud ipsas imagines, & hic Monachij Græce à Petro Cortoneo ducis medico ac philosopho cuius generis, potissimum tamen Latina, duodecimum in annum (ex omnium ætatum poëtis) colligo, ut non iam chiliades sint exemplorum subinde ad certam rem pertinentium: sed myriades potius non paucæ. Vt autē non est mei instituti hæc omnia ad unguem declarare, sic etiam ulterius nolo dignioribus elogijs totum institutum theatri commēdare. Illud enim cuilibet ingenioso principi, ac optimati, & literato, quando rerum aliquam copiā collegerit, aut satis rem totam considerarit, faciendum relinquo.

EXEMPLA

EXEMPLA AD LECTOREM ET AD PROMPTVARIorum sapientiæ exornatores, fundatoresq; bibliothecarum diuersa supellectile instructarum. tùm ad omnes materiarum uniuersitatis collectores, & antiquitatis patronos, quos Hubertus Goltzius in suo Iulio Cæsare nominauit. Sam. Quicchebergus.



PRæter hoc quòd hisce nostris theatri artificiosarum rerum inscriptionibus, omnes optimates et nobilissimos quosq;, cupiam ad similia fundanda præcipuè alectare, plane etiam meum institutum est, ut posint in posterum eiusmodi mecœnatum, et magnorum obseruatorum per regna Europæ cathalogi adornari, quales de antiquitatis cultoribus prodidit Hubertus Goltzius Brugis Flandrorum, aut quales de illustribus Germanis hisce annis instruebat Heinricus Pantaleon Basileæ Rauracorum. Hoc autem quomodo rectissime aggrediendum sit exempla hic quædam breuiter in medium afferrenda putaui, quibus niti côueniret Attigam autem iam principaliter, ubi potero ipsos Antiquitatum cultores, ut Gotlzius: nominabo qui occurrêt bibliothecarum fundatores: demum eos qui sunt promptuariorum imaginum ex æreis laminis aut aliter proditorum exornatores: omnino autem etiam materiarum uniuersitatis collectores. nam reliqua studia apud hæc subinde concurrunt. Et quidem ut initium ante omnia longe illustrissimum sumam à nostro imperatore Maximiliano secundo: est equidem is testimonio etiam principum multorum omnis ornatus, quem huius mundi profert natura maximus obseruator, et promptuarij rebus pulcherrimis refertissimi, eximius exornator. ut eum ad hæc tempora decoranda ipsa natura summè in rebus nouis efflorescens potissimum enixa uideatur. hic equidem rebus maximis, utilissimis et admirandis hactenus semper deditus, ad huc quicquid temporis à Christiani orbis, et sacri imperij, et regnorũ suorum gubernatione ad respirandũ habet reliquum, libenter, & liberaliter

admodum

De imperatore.

admodum confert, in ijs audiendis ac fouendis, quos plurimarum, utilissimarumq; artium inuentores, ac cultores agnoscit, aut usquam terrarum potest indagare. Atq; hinc tot thesauri paterni auctiores redditi, tot scrinia antiquorum numismatum locupletata, tot libri depictarum statuarum, monumentorum, inscriptionum, diuersæ supellectilis et uasculorum ex ruinis erutorum: tot imagines elegantissimæ à præstantissimis pictoribus proditæ totq; res miraculosæ tanta cura conseruatæ, quarum uel Illmus princeps Albertus Bauariæ dux Dominus meus diligentissimus commendator esse non intermisit, quæq; omnes plane inspectores in summam perducere debeant admirationem. Quemadmodum autem Maximilianum Imperatorem suum fratrem in antiquitatum studio imitatos summa cum gloria recensuit Goltzius noster Ferdinandum et Carolum Archiduces Austriæ filios Ferdinandi imperatoris: ita quidem ego innatam eis omnium pulcherrimarum rerum inquisitionem, et artificiosorum promptuariorum fundationem longe illustriori encomio possum asignare, quorum etiam promptuaria digna forent, ut singulis libris describerentur et posteritati commendarentur. Pergam autem, et ad alios, saltem in Germania summos uiros ex Goltzio referendos, quamuis forent in diuersis Europæ locis reges, principes ac alij præstantissimi uiri, res diuersas excolentes, suam quoq; gloriam promeriti, celebrandi: quod etiam non difficile esset, in tanta inscriptionm titulorumq; copia, sed hoc in tam exili epistola minimè licet. quare moderari etiam oportuit inscriptionum uarietatem, ne de singulis omnino exempla afferrentur. Equidem si ad principes electores imperij quasi distinctos reges, pontificesq; progredi conueniret, quorum septem hoc tempore uiuentium, ut frequenti conspectu frui accidit gratissimum, ita multo iucundissimum fuit studia eorundē peruestigare: haberem in singulis quam plurima ad classes nostras pertinentia, quæ nullo modo forent breuibus elogijs prætereunda: haberem inquam in Daniele Bren del ab Homburg archiepiscopo Moguntinensi, quem exoptatum imperij parentem uocare soleo, et in Iohanne de Leien Treuerense quem antistitem

ſtitem imperij ſummæ authoritatis, & prudẽtiæ agnoſco, quæ ob reſtitutas ab utroq; Academias, literarumq́; apud ſe utrobiq; reuocatum cultum digniſsime celebrarem: de ipſis enim dici debet, eos hoc modo longè præclariſsima ſapiẽtiæ theatra fundaſſe: ſed quia his rebus ſcriptam quandam hiſtoriam deſtinaui, longè narrationi hoc tempore puto ſuperſedendum. Quoniam autem de his duobus obiter hæc attingo, etiam in Friderico comite à VVida electore & archiepiſco Colonienſe nunquam omitti debet, (quemadmodum Goltzius in eius anteceſſore comite Manſfeldiano commendauit) antiquitatis ſtudium huic etiam deputatum, adeoq́; idem ĩ antiquarum familiarum obſeruatione extenſum, & in plurimorum librorum collectione confirmatum, ubi cum accedit optima gubernandi electoratus ſui forma, facilè reliquæ uirtutes planè heroicæ poſſũt digniſsimis elogijs dilatari. Habeo deniq́; (omiſſo iam rege Bohemiæ imperij electore, qui idem Maximilianus ſecundus Cæſar eſt) quod in Friderico Palatino electore conteſter oculatus, nam antiquitatum muſea ſum̃a induſtria ab Othone Henrico pridem Haidelbergæ inſtituta, ab hoc principe pulchrè expoliuntur, colunturq;, idemq́; & artificioſæ ſtructuræ planè regio ſplendent apparatu. neminem autem eſſe uelim, qui non hic ſibi rerum naturalium copiã prorſus admirabilem proponeret contemplandam. Delapſus tandem ad Illmos principes Auguſtum Saxoniæ electorem, & Ioachimum electorem Brandeburgenſem, dicam breuiter, ſed quod erit omni plauſibile nobilitati, in hoc (quantum ad theatri titulos noſtros) occurrit officiorum imperij & genealogiarum ſtudium ſummè approbandum, in illo nominũ equeſtris nobilitatis, & inſignium eorundem colligendorum excitata induſtria: dignè ſemper in noſtro theatro collaudãda. quibus ſi non diſpliceant, quæ his de rebus ſum in poſterum collaturus, ulterius exornandi orbis noſtri fuerit ianua patefacta. His autem omnibus, quia hic ſatisfacere non datur: alio aliquantiſper diuertere oportebit. & quidem non abſolutum aliquem cathalogum hic conteximus, ſed quædam tantum exempla conſectamur, ex ijs potiſsimum locis ubi in ſuperiore Germania paulo diutius uer-

ſati ſumus. utpote ex Bauaria, Sueuia, & Franconia, donec liceat undiq; uiros doctos & artifices orbis & ſeculi noſtri præclaros, ſuis principibus aut regionibus ſubiunctos ampliſsimo catalogo pro iuuanda ſolum poſteritate, æternæ memoriæ cõſignare Progredimur ergo ſtatim ad nomina quædam à Goltzio annotata: ac ubicunq; res poſtulabit, uel adiungimus noua, uel unicuiq; priorũ aliquid huius generis ſtudij, quod ex noſtro theatro præcipue excolu iſſe uideatur, breuiſsime aſcribimus. ita quidem ut hæc exemplorum enumeratio, non iam hiſtoria eorum qui adducuntur dici poſ ſit, ſed ſolum catalogus theatri cultorum ſuccinctus debeat appel lari. Occurrunt itaq; ibi apud Goltzium potiſsimum hi principes quatuor. in BAVARIA Mõachij: Albertus com. Pal Rheni, utri usq; Bauariæ dux, qui Bauariæ eſt monocrator: in Sueuia, ex eis qui ibi fixam habent ſedem (nam et alij erant aſſcripti) Auguſtæ nominatur Otho Truchſes à VValpurg Cardinalis Auguſtanus & in eadem Sueuia Stutgardiæ, Chriſtopherus dux VVirtenber genſis: In FRANCONIA Herbipolis Fridericus à VVirſberg epiſcopus VVirtzburgenſis idemq; dux Franconiæ Orientalis, quos ego ut quidem omnes domi ſuæ uiſitaui, & rerum literatarũ obſeruator diligens fui, ita amplius aliquid in eis quam celebrat Goltzius facilè agnoui: Et quidem in Alberto Bauariæ duce optimo principi meo, eſt inter grauiſsima ciuilis gubernationis negotia, hoc quoq; illi inſitum liberale ſtudium, quod iterum atq; iterũ hic commendo, fundandi ſcilicet excelſi cuiuſdam imaginum & artificioſarum miraculoſarumq; rerum theatri, quale nullo unquã ſeculo extitiſse agnoſcendum eſt. quod ſanè eiuſmodi exurgit, ut qui uiri principes, qui literati, qui artificioſi illud maximum inſtitutum ignorent, per Europam nondum quicquã literatorum negotiorum inquiſiuiſſe uideantur, in quo ipſis ſumma gloria, & uirtus propoſita ſit ſummo ſtudio colẽda, imitanda & exornãda. Quam ergo iucundum fuerit de hoc principe hæc accipere celeberrimis illis antiquitatum ſcriptoribus Huberto Goltzio in Flãdria, Iacobo de Strada in Auſtria, AEneæ Vico in Italia, & Medoro Venetijs, deniq; Iohanni Sambuco Panonio in patria ſua, qui per

agratis

agratis multis terris harum rerum cauſa, nuper in Belgio quoque uoluit peregrinari, maximè cum tanta rerum illuſtriſsimarum copia hic coniungatur, cum tanto ſtudio quidquid habet artificio & eruditione eximium orbis noſter inquiratur, ac in unum quaſi cumulum conferatur. Deinde de Othone Cardinale Auguſtano, & Friderico epiſcopo VVirtzburgenſi, gratulamur illis, unumquemq; ipſorum, ob fundatas ſingulas Academias (quarum altera Dillingana Sueuiæ iam multis annis plurimum frequentatur, altera VVirtzburgenſis optimam ſui ſpem oſtendere uidetur) inter ſummos noſtri ſeculi patronos & ſtudiorum parentes numerari: cum accedant hic undiq; dotes admirandæ: in inquiſitione & promotione plurimorum optimorum librorum, & omnis Germanici decoris fideliſsime prouehēdi. De Chriſtophero duce VVirtenbergenſe, præter antiquitatum ſtudia, quæ Goltzius in ipſo commendauit, etiam miraculoſarum materiarū & architecturæ gratiſsimum multis patronū dudum extitiſſe monere poſſum: at quantum in his operæ poſuerit, quantaq; abſoluerit paucis equidem paginis refferre non poſſum. Quibus Goltzianis exemplis ut addam alios adhuc principes, ad quos Goltzius eo tempore non deflexit: in Bauarico circulo neceſſario nominādi occurrunt, quatuor iſti epiſcopi: Iohan. Iacobus Khuen archiepiſcopus Salisburgenſis: Vrbanus à Trembach epiſcopus Paſſauienſis: Vitus à Fraunberg epiſcopus Ratiſponenſis: Mauritius à Sandizel epiſcopus Friſingenſis: quorum ſinguli ſelecto aliquo ſtudio, uno aut pluribus, præter reliqua ſuo eccleſiaſtico muneri neceſſaria, delectantur: ut illuſtrium uirorum effigiebus colligendis, bibliothecis locupletibus inſtruendis, numiſmatum libris à Germaniæ proceribus & epiſcopis cuſorum integris catalogis adornādis, nobilitatis Germaiæ īſignibus et armis colligēdis. in quo potiſsimum inſignium ſtudio Vrbanus Paſſauienſis epiſcopus quamplurimis Germaniæ principibus, ſummo eſt ornamento. Sed & in hac Bauariæ uicinia, quod apud Goltzium legitur de Fruxinenſi epiſcopo Huttenicæ gentis, id pertinebat

 ad Aiſtadi-

ad Aiſtadium ubi interea temporis Mauricius à Schaũberg ſuam quoque in ædificanda noua ſchola exornans ſpartam, dudum meruit ut ſua etiam in illuſtrandis literis & theatris laus minimè debet præteriri. Sed & ibidem dominus præpoſitus, Ambroſius de Gumpenberg uir grauiſsimæ ætatis præter numiſmata, quæ multis annis Romæ collegit, omnium etiam artificum peregrinorum hoſpes & patronus extitit, multaq́ diuerſiſsima ingenioſa opera promouit excoluitq́. In quo genere, addito illuſtri hiſtoriarũ ſtudio, aſſurgit laus ampliſsima Alexandro Fuggero præpoſito Friſingenſi, quæ ſubinde fructus uberrimos patriæ proditura ſperatur. Hinc autem ad nobiles alios quoq́ tranſire conuenit, in Bauaria paſsim celebrandos. Ibi ergo in aula ducis Bauariæ, nominato à Goltzio præcipuè VViguleo Hundio uiro equeſtri, & doctore, addo nunc eum præter cuſa illa antiqua numiſmata, etiam nobilium familiarum uetuſtatem ſummo ſtudio indagare, ijſdem ſingulis ſua inſignia mira induſtra aſsignare, multa ad Bauaricæ regionis honorem monumenta perueſtigare. Et quidem in ijſdem ſtudijs, pulchrè ibidem agnoſcimus eorundem alios quoq́ cultores præſtantiſsimos. in ſtudio enim genealogiarum admiramur Otto Henricum baronem Schuartzenbergum Bauaricum ethnearchã: in inſignibus colligendis inter reliqua ſancta planè ſtudia officiaq́ Simonem Eckium Cancellarium in monumentis ueterum obſeruandis: VVilhelmum Lœſchium equitem auratum, apud duciſſã aulæ præfectum, & Michaelem Heumair I. C. idem ſtudium cum genealogijs minimè priuatim pertractantem. Sic etiam bibliothecæ fundatorem induſtrium habet Saliſburga Sebaſtianum Hœflingerum Salisburgenſem Cancellarium. habet iterum Monachium Hieronymum Prunnerum, libros maxima copia conquirentem, quos ego rectè commendare poſſum, qui eis ualdè liberaliter uti ſolebã: ubi etiam antiqua Ridleriana libraria colẽda eſt. ſimiliter & Chriſtopheri Brunonis, qui librorum adeò auidus eſt, ut typographicum prælum, cum typis ſuis domi nuper extruxerit. Deĩde huc pertinent à Goltzio quondam Piſis ſalutati inſciptiq́ Sigiſmundus, Fridericus Fuggerus, & Vitalis Gmelich iam potiſsimũ

Salis-

Salisburgæ in antiquitatum, & ornatiſsimarum rerum ſtudijs itera rò commendandi. ſimiliter Oſualdus ab Egk, in oppido Kelhaim ſupra Ratiſponam numiſmata mirè colens, & paternam bibliothecam Leonhardi ab Egk quondam celeberrimi Bauarici conſiliarij ada ugens præteriri ſilentio minime debet. Eſt & modis omnibus commendandum Sebaſtiani Reiſacheri. I. C. & philoſophi, Bauaricię apud Burguſium conſiliarij inauditum philoſophiæ theatrū (iam enim ita uoco) quod longè aliud exurgit quam Iulij Camilli quōdam, quod per productas capſulas conſarcire oportuit, in libris iam inſpiciendum: quod ſanè inuentum primæ philoſophiæ, quā ipſe ſic uocat, nouum uniuerſæ Europæ debeo declarare, quēadmodum id, quod in diſciplinarum omnium certitudine, & perfectiſsimis methodis, tanquam ſapientiæ portis aperiendis, ſummā literis utilitatem & perſpicuitatem planè diuinam attuliſſe uideatur. huius etiam ſtudium extenditur in Bauaria, cùm in alijs maximis ingenijs, tum in Alberto VVimpinæo Ingelſtadij, & Carolo Rauhenbergo Ratiſponæ. Nouerit etiā hoc loco Goltzius Ingelſtadij Philippum Apianum, ut omnis pulchræ ſupellectilis, ad mathemata ſua exornanda pertinentis etiam omnium antiquitatum digniſsimum patri ſucceſſiſſe cultorem, nouerit & Fantneros Georgium & Iohannem quam plurima numiſmata, pridem tùm alibi tùm in tota Bauaria collecta pulchro ordine Landiſhutæ aſſeruare. Itemq; Monachij non prætereo etiam ex Goltzio Ludouicum Schrenkium, atq; Mullerum, cum in utriſq; familijs non pauci ſint & antiquitatum & imaginum materiarumq; rariſſimarū ſtudioſi. Sciant etiam præclari hiſtorici, non minus ac iamdudum agnouerunt principes, ac reges ipſi, in hac ali Bauaria Orlandum de Laſſus, tanquam muſices noſtri ſeculi parentem, quem ubiq; colunt literati, imitantur muſici, commendant optimates: nam & huius operibus, bibliothecæ clariſsimæ, & muſea delicatiſsima mirificè opplentur expoliunturq;. Atq; utinam hinc ulterius ad alios præclaros in uniuerſa Bauaria uiros celebrandos excurrere liceret. Equidem ſegetem longè ampliſsimam eorum qui cum alijs in locis tùm uero maximè Ingolſtadij ſunt demonſtrarē, ſed ut eſt hic bre-

uitas certo præscripta, in alium locum exempla eiusmodi conieci: cum & reliquis Goltzianis nominibus, in Bauaria ascriptis, satisfacere prohibear: imo, uero doleo, quòd cogar adeò ipsos professores Ingelstadienses longè clarissimos præterire, ubi tamen me consolari posit, quod partim per se sint celeberrimi, partim elogijs Viti Iacobæi poetæ sint commendati. sed quod attinet ad cõquisitores bibliothecarum dicere debeo, Georgium Theandrum ibi bibliothecam amplissimam uniuersalem, Martinum Eisengreĩ theologicam præstantem, Rudolphum Glenkium, & Leonhardũ Probstelium, abstrusorum librorum thesauros colligere dignè instituisse. progrediar ergo nunc ad eos, quos Augustæ Goltzius nominauit, suntq; primo fratres duo Fuggeri, Iohan. Iacobus, & Raimundus, de quibus quantos compararint, ad eos, quos etiam à parentibus acceperunt, antiquorum numismatum thesauros, nisi esset iam literis commendatum, hic eos non liceret, sine maximis elogijs præterire, sed ut de ijsdem pro theatri nostri ratiõe aliqua maiora annotem: sciendum equidem ex eis Iohan. Iacobum bibliothecam fundasse Fuggeranam, eiusmodi quidem copia ut in ea commendanda & referenda, iusti commentarij (quod & ipse quõdam ostendi quomodo fieri deberet) opplendi forent, eius ergo indices nisi publico usui emittantur, maximo bono seculum nostrũ uidebitur defraudari. Raimundus uero cum eodem fratre, antiquarum statuarum librorumq; in quibus ĩnumera numismata priuatim depinguntur, tanta uolumina adhibito Iacobo à Strada cõquisiuit, ut si asportandi sunt, eis aliquot clitellarij muli debeant onerari: cuius argumenti exemplaria solum in Cæsareis museis apud Maximiliãum imperatorem conseruãtur, augenturq;. Addere hic oportet, pro inscriptionibus theatri nostri, esse quoq; à Georgio, & Marco Fuggeris patruelibus, singulas domi confectas bibliothecas, quæ uel principum regijs dignæ esse posent: dum enĩ Marcus linguis & historijs, Georgius uero mathematis & philosophiæ plus ĩseruiuit, reliquis etiã studijs cũ delectu adiũctis cuiusque gloriam perpetuo uigere animaduerto. Ita etiam in domino Christophero & Iohane Fuggeris, similiter inter se patruelibus, & duorum

& duorum proxime nominatorum fratribus, est quod summè colat theatrum nostrum: ambo enim simili studio ingeniosarum imaginum, sculpturarum, & admirandi artificij supellectilis, & preciosorum uasculorum aliarumq; rerum, quæ posteritas ex hac florenti ætate profectas, plurimum admiratura, & plus fortè, quàm antiquas Romanas cultura, liberales patroni extitêre, multisq; hominibus in nouis rebus excogitandis adiutores fuêre. Vbi & peculiariter Iohanni accessit, quòd præstantissimorum undiq; ingeniorum liberalissimum sese patronum obtulisse agnoscatur. Hic autem Goltzio quoq; aperire debeo, quam insignem antiquorum numismatum copiam Michel. Luduuig & Ferdinandus à Freiberg in libros argentearum laminarum disposuerint, intraq; raras quasdam lances gemmarum modo inseri curauerint, quibus sane nihil in hoc genere illustrius tota Sueuia habere putatur. Vbi & eadem Sueuia habet Frobeni. Christopherum comitē à Cimbern senem historiarum & aliarum maximarum rerum peritissimum & insignium armorumq; cultorem admirandum. & VVilhelm VVernherum comitem itidem à Cimbern, mirabilium uniuersæ naturæ inquisitorem, cuius equidem promptuarium uulgò Germanorum, non iam Kunstkamer, quod est artificiosarum rerum conclaue, sed solum VVunderkamer, id est miraculosarum rerū promptuarium undiq; uocant. quo etiam nomine suum quoddam fundauit Vlricus comes à Montfort in Sueuia quod est etiam mirabilium naturalium conclaue summè perpolitum. Cæterum ut Goltzius Augustæ Iohan. Henricum Heruuartum ex patricijs Augustāis primùm antiquitatum cultorem ponit, cui etiam non longè post Lucam Rhemum subiungit, ita mihi hoc quoq; in eis dicendum occurrit, quòd in colligendis imaginū promptuarijs ad extrema usq; Europæ regna debeant celebrari: cuius gloriæ Furggeros etiam ibidem habeas quam maxime capaces. de quibus præsertī Antuerpia Venetiæ, & Rōa, quæ ēporia plerosq; gignūt artifices, ac pictores in cupro īagīes cœlātes, gloriari debēt esse saltē eiusmodi Mecœnates, qui in artis hōorē ōnia quæ ūquā extitêre

in certa

incerta quædam musea colligere satagant. quos tamen iam pridē illustrissimus princeps Albertus Bauariæ dux, suum extruens regali apparatu theatrum, plurimū superauit. Qui etiam imagines biblicas non paucis, ut supra dixi, chiliadibus manu Iohañis Muelichij Monachiensis pictas in libris musicis sumptuosissimis, eis incredibili gloria associauit, ut illa iam coniuncta promptuariū imaginum tanquam peculiarem bibliothecam, constituere uideātur. Est & præterea Augustæ Peutingeranum museum, non minus numismatis & minutis æreis statuis refertū, quàm iuridica bibliotheca ornatissimum. quod quidem hoc anno, ædificijs addititijs Christopherus Peutingerus urbis præfectus ampliauit. Hic optarī equidem Germanis quibusdam, ut uidissent solum in Lombardia museum & reconditoria istarum rerum Marci Mātuæ Benauidij professoris Patauini, esset exemplum perpetuo imitandum: cuius rarā supellectilem ut describerent, dudum Italos quosdam sum obtestatus Minutas autem æreas statuas nouas collegit, ac etiam sua manu fudit, & aliqua ex parte cū multis rebus alijs effigiauit Marina Pfistera matrona honestissima, quæ simul instrumentorum tornatilium, fabrilium, pictoriorum, mathematicorum, musicorum sola collegit promptuarium plenissimum: cuius etiam fructus post eius mortem, dum eam plures imitari studuerunt, late sunt extensi Reliquorū autem quatuor ibidem à Goltzio adductorum nomina qua gloria passim celebrantur, omitti etiam à me non debent: ut Christopherus Rhelingerus, Marcus VVelserus, Bartholomeus Mai, & Adolphus Occo, Vbi quidem ego, qui singulos indagaui, ascripsi etiam rectè Iohan, Achillem Ilsung Cæsaris consiliarium, & Paulum Vehlim, itemq; Carolum Neitardum Patricios Augustanos (cuius Caroli fratrem Christopherum Neitardū apud Lugdunēses, quòd ibi diu habitaret, inter antiquitatum patronos Goltzius non neglexit) & VVolfgangum Rauenspurgerum, & Georgium Meulichium, quorum aliqui ex suis numismatis, etsi non adeò, ut reliquorum, copiosis, meum tamen inde locupletare thesaurum non intermisêre. sicuti recentius adhuc etiam in aula Cæsaris Leonhardus ab Harroch iunior baro clarissimus, & in aula Bauarica

rica Leonhardus à Mamingen uir nobilissimus, quædam mihi obtulerunt: & nuper admodum Iohannes Aurpachius I.C. principis tùm consiliarius, postmodum episcopi Ratisponensis Cācellarius, secum ex peregrinis locis allata, quædam mihi non ingrata, apud res meas uoluit asseruari. ascripsi deniq; Augustæ alijs titulis Iohā Baptistā Haintzelium V.C. librariam quandā suā, & bibliothecā Augustanæ reipub. cui præfectus Hieronymus VVolfius mirificè locupletantem, & eundem VVolfium ex suis ferè tantum fœturis, orbi nostro utilissimis, bibliothecam preciosissimum instruentē. Præter hos reliqui Augustæ à Goltzio nominati peregrini potissimum fuerunt, qui uel cum Cæsare, uel aliâs in comitijs istis temporibus adfuêre, sicuti me quoq;, quem eis, etsi titulo, quàm profitear, maiore, addidit dico isthic ob frequentes Imperij conuentus libenter commoratum fuisse, hos inquam in aliud tempus & locum uolui reseruare, quando in pluribus studijs fuerint suis in sedibus celebrandi. Siquidem inde sua omnia procul dubio abstulerint, ut & ego, qui quæ Augustæ habebam, partim mecum in peregrinationibus & Monachij esse uolui, partim Leoni fratri meo Norībergæ aut apud Schurstabios asseruanda destinaui. Vbi quoq; Norimbergæ, qui fuit Rœmerianus thesaurus, apud Georgij Rœmer filios, cum uoluptate spectaui: & Bilibaldi im Hoof maximi patricij, deniq; Georgij Chonleri equitis & doctoris numismata, tanti semper feci, ut nunquam non ditissimis gazis, quemadmodum & Goltzius ea refert, censuerim annumeranda. ubi etiam minimè debuit præteriri Iohā Stark uir sane magnus, & Hieronymus Brusterer, ac Stephanus Braun, itemq; Sebaldus Flechner. quoniam horum nullus (sicut & eorum qui sunt à Goltzio nominati) qui non etiā imaginū prōptuarium fundarit: id est, picturarū ex æreis laminis cusarum. quasi peculiarem bibliothecam acquisiuerit. qua tamen imagines colligendi industria Hieronymus Baumgartner uir grauissimus clarissimusq;, atq; itē eius filius præ reliquis adhuc commēdantur. nec non etiam Nicolaus à VVimpfen, & Paulus Ketzler. Reperio autem & hos in Goltzio: Sebaldum Zilinger, VValberum Pfrauner, Eustachium Molber, Fridelinum Bandel, Rutgerū

Bremling. Habet autem illud Norimbergense emporium, quantũ ad theatri nostri excolendos separatos titulos (præter eos qui uniuersa in imaginibus, ac materialia etiam colligunt, inter quos noti sunt Mositzer, & Gamitzer aurifabri, Iohannes Neudorferi duo præstantes arithmetici pater & filius (omnis generis artificiorũ & negotiorum, studiorumq; tàm insignes cultores, tàm multiplices nouarum rerũ in omni uita necessariarũ inuentores, ut peculiares potius de eis contexere commentarios conueniat (quod neutiquã suo loco intermittam) quam hic aliquid cõtinuare, uel potius imperfecte inchoare. nam si de ijs artificibus dicendi locus foret, ad alios statim esset per urbes imperij transeundum, & multa etiam de Monachiensibus sculptoribus, horologiarijs, ensifabris, bombardarum, & aliarum rerum exquisitis artificibus dicendum, quorum opera longissimé ad exteros summa cum gloria perferuntur Reliqui autem iam sunt in Franconia VVirtzburgi à Goltzio nominati repetendi: estq; ibi Iohannes Zobel cubicularius Franconicus hæreditarius, & VVolfgangus Theodoricus ab Hutten decanus, & Eberhardus ab Ehingen prouincialis commendator, & Michael Peuterus. I.C. qui hoc tempore in uiuis erant, quibus addito præcipue Balthasaro ab Helu Franconico & Vuirtzburgẽsi Cancellario, in excolẽda nobilitate, histori|s, literis egregie prouehendis necessario ueniũt celebrandi. Atq; ita hic plerosq; breuiter ex Goltzij Cæsare repetiui, quantum hoc tempore conuenire putabam. Video enim ulterius progredi ad alia superioris & inferioris Germaniæ loca minime oportunum esse, nisi me neglectis ratibus immensis undis Oceani credere liberet. Nedum ut repetam quos Goltzius in Italia dignissime citauit: nam & ab eis nominandis etiam argumenti magnitudo nos debet deterrere: ut si modo recolenda sint unius summi pontificis Pij quarti ingeniosa ac splẽdida opera Romæ excitata, siq; inde per ducum regias, & regios animos sit percurrẽdum, si ducis inquam Florentini, Ferrariensis, Mantuani, Vrbinatis, & aliorum sint in his promouendis studijs ingenia commendanda, uix id capere maximi commentarij possint, ut nihil inueniam consultius, quam ut, Goltzium imitatus, so

lum

ſum nudis nominibus referendis inſiſtam, atq; eos quos obiter attingo, liberaliſsimos in his ſtudijs fouendis patronos edicā. Nā & occurret tota Gallia, & Hiſpania, & alia regna, cū ſuis regibus, ſi modo limites huius inſtituti prætergredi auderem. Expectandū eſt ergo donec magni aliqui principes, diligentesq; hiſtorici, uiriq; literati qualescunq;, has meas inſpexerint theatri inſcriptiones. ut quid me forte monere, quibusq; cōſignatis nominibus iuuare nos uelint, quoquo modo me reddant certiorem. Nam mihi animus eſt, cum hæc optimi quiq; non improbauerint, de alijs quoque rebus non inornatis quædam apud eoſdem proferre. deq; ſcribenda noſtri temporis hiſtoria quædam emittere. Vtor autem meo iure perpetuo, in omnibus ſcriptis ut clariſsimorum hominū, eiuſmodi ſingula, quorum incidit mentio tractantium, nomina inſeram, deq; ea re ante me ſcribentes nuſquam omittam: ſed potius certos catalogos, quippe hiſtoriarū noſtri temporis cultor, ubiq; apponā. Interim uero, qui à Goltzio, pro ſuo erga ſingulos amore, ſūt durabili memoriæ conſignati, quod peropportune accidit ſub patrocinio Domini M. Laurini de VVaterflito, ſeſe præbeant non ingratos (iam enim ego Samuel pro me, meoq; patruele Petro Quicchebergo Antuerpiæ à Goltzio nominato ſpōdeo) ſed quisque, ut cœpit illud antiquitatum ſtudium amare, magis magisq; excolere nunquam defatigetur. atq; dum à me ſinguli pro ratione plurium titulorum inuitantur, ne quæſo ſeſe præbeant, quin uberiora ſectentur, apud me ſurdos. Simul uero hoc mihi denuo precanti concedant ſtudioſiſsimi quiq;, ut eorum qui eius generis muſea, uel theatra, uel promptuaria uarie inſtruxerint, excolantq; adhuc, diligenter conſignare nomina non grauentur. Ex arce noua urbis Monachienſis, quæ eſt archipolis Bauariæ ſuperioris. Anno Domini M.D.LXV. menſe Octobri.

FINIS TOTIVS THEATRI ET EXEMPLOrum hoc tempore obuiorum Sam. Quicchebergi.

SALOMONIS EXEMPLVM SVMMAE ſapientiæ,& rerum ubertatis, utiliſsimè pro concluſione omnium commemorandum.

Dedit quoq; Deus ſapientiã Salomoni & prudentiam multam nimis,& latitudinem cordis, quaſi arenam quæ eſt in littore maris. Et præcedebat ſapientia Salomonis ſapientiam omnium Orientalium, & AEgyptiorum. Et erat ſapientior cunctis hominibus.ſapientior EthãEzrahite,& Heman, & Chalcol, & Darda filijs Machol:& erat nominatus in uniuerſis gentibus per circuitum. Locutus eſt etiam Salomon tria millia parabolas, & fuerunt carmina eius quinq; millia. Ei diſputauit ſuper lignis à cedro quæ eſt in Libano,uſq; ad hyſſopum,quæ egreditur de pariete: & diſſeruit de iumentis, & volucribus, & reptilibus, & piſcibus. Et ueniebant de cunctis populis ad audiendũ dum ſapientiam Salomonis, & ab uniuerſis regibus terræ,qui audiebant ſapientiam eius. 3.Reg.4.D.

EZECHIAE REGIS EXEMPLO ORANDVM, ut harum rerum poſseſſoribus ſit pax.

In tempore illo miſit Merodach Baladan,filius Baladã rex Babyloniorum,literas & munera ad Ezechiam, audierat enĩ quod ægrotaſſet Ezechias, & oſtendit eis domũ aromatum,& aurum, & argentum, & pigmenta varia, vnguenta quoq;, & domum vaſorum ſuorum, & omnia quæ habere poterat in theſauris ſuis,non fuit verbũ quod non monſtraſſet eis Ezechias in domo ſua, in omni poteſtate ſua.

Cum uero ſubeſſet hic quædã arrogantia,& in tãtis rebus ipſis ethnicis commonſtratis temeritas, male regi ominatur in futurũ tempus Eſaias propheta, idq; multis uerbis à Domino ſuggeſtis cui rex ita reſpondit.

Bonus sermo Domini, quem locutus est; sit tantum pax & veritas in diebus meis. 4. Reg. 20. D.

Omnia ergo solum ad laudem diuinam & ad hominum uergant utilitatem.

SYMBOLVM LIBELLI.

Dedit hominibus scientiam Altissimus honorari in mirabilibus suis. Ecclesci. 38. A.

Hic destinaui locum corollarijs, quæ adijciet, illustribus nominibus, asscribẽdo, amici harum rerum studiosi, & alij uiri docti, atque etiam fortè typographi, & poëtæ, ut si quando libellus nobis sit recudendus, ijdem adiungantur. Atq; ita ex philologico (qui est ob inscriptiones) fiet etiam historicus, ob tot præclaros uiros undiq; terrarum inquisitos, inq; eo celebratos. donec nominibus illis liberius adauctis, seruiant simul maximo operi exemplorum historicorum nostri temporis, à nobis instituto. Cuius operis etsi prima delineatio publicè usq; in annum MD LXV non est conspecta, tamen oportunum tandem erit eam proferre. Habebunt autem interim occasionem illi, qui nos nominibus iuuare uolent optimam, ea transmittendo ad Georgium VVillerum Augustæ bibliopolam, & typographorum plurimorum in tota uicinia adiutorem & patronum: qui iam satis notus est catalogis librorũ, quos de libris, singulis nundinis Francfordiensibus diuulgatis, ædit, & hominibus literatis passim impertit. Cæterum quòd iam etiam attigi, libellum nostrum partim esse philologicum, partim euadere historicum, ideò factum est, ut bibliothecarum adornatores & locupletatores ex me etiã audiant, ad quas bibliothecarũ classes uel stationes ac indices, considerata argumenti diuersitate, totum commentariolum putem referendum.

ΠΕΤΡΟΣ ΚΟΡΤΟΝΑΟΙΣ ΕΙΣ ΤΟ ΘΕ-
ατρον Κυικκεμβέργου:

Ὅσσα φύσις τέχνη τε βροτῶν χάριν οἶδε νοῆσαι,
Οἷα πρὸ ἐξ ἀδύτων τοῦτο θέατρον ἄγει.

ΑΛΛΟ

Κόλπον ἀπειρεσίου κόσμου τὸ θέατρον ἀνοίγει:
τοῦτο διακρίνει καὶ γὰρ ἕκαστα μόνον.

ERASMVS VENDIVS IN THEA-
tra Illmi principis Alberti Bauariæ ducis.

Si quid habet rari uastis complexibus orbis
Aemula natura Boia theatra tenent.
Principis Alberti fulgent monumenta benigni.
Excelsæ mentis sunt simulachra suæ.

VITVS IACOBAEVS POETA
CAESAREVS

Hic inter studia pacis suggeri etiam armorum excercitationem.

Tempore quid pacis meditandum, aut tempore belli,
Hac Quicchelbergus sub breuitate docet.
Accipe nobilitas tua quid sibi munia poscant,
Agnosce officium doctaq; turba tuum.

GABRIELIS CASTNERI ELEGIA:
cum ad Sam. Quicchebergum historica exempla
secundum classes theatri colligentem.

Goltzius extremis famam quæsiuit in oris,
Dum studio ueterum colligit æra patrum.

Vna tamen

Vna tamen res eſt, ſpecies nec diſcolor illa,
A primo nuſquam diuariata ſcopo.
Heu tua quos peragrat Samuel meditatio campos,
Materiam nullo tu prope fine ſeras.
Hic ſimulachra locas ſacra, hic inſignia, mappas,
Materias illic ponis, & effigies.
Das generum ſeries, das inſtrumenta ſororum
Euterpes nymphæ, Terpſichoresq; deæ.
Singula quid dicam? res infinita relatu eſt,
Quæ poſcit ſtudium poſcit & ingenium.
Si laus tanta ergo per ſola numiſmata ſurgit,
Quantam nunc merito Goltzius autor habet,
Quanta Quicelbergo debetur gloria noſtro,
Qui ſpecies rerum colligit innumeras?
Hinc ubi quem longo concinnas tempore librum
Aedes, exemplis qui ſcatet hiſtoricis,
Tunc facili dudum qui currere tramite cœpit,
Se magis effundens laxior ibit honor.

IODOCVS CASTNERVS DE
theatro Quicchebergi.

Artis ut immenſa captus dulcedine luſtres
Mirandum uaſtus quicquid hic orbis habet,
Turgida nauifragum quid opus dare uela per æquor?
Quid cupide terras tot peragrare iuuat?

Vnum per

Vnum per classes quod promit cuncta theatrum
Esse potest mundi totius instar opus.

IOACHIMVS HABERSTOK FRISIN-
geñ. ad AEgidium Oertel, & Sam. Quichebergum.

AEquatur numero, Musis exculta, deorum,
Solis & exuperat, mens studiosa, domus.
Hæc sed ob inuigiles saltem (res magna) labores
Cœlitus adueniens gratia dia datur.
Nec nisi in ingenuis Musarum ritè latebris
Versans, hoc tanto munere dignus erit.
Lustrare ergo sacras res est pia bibliothecas,
Inde etenim nomen crede perenne uenit,
Credita sicq; tibi, Boiani principis Oertli
Perpetuum nomen Bibliotheca dabit.
Sed maior longè, multis celebranda Camœnis
Ardua res doctis & labor ille uiris.
Multiplici serie & uarijs spectanda figuris,
Instituisse noua Musica templa modo,
Quod bene constructo præbes Quicheberge theatro,
Quo si quid, moriar, doctius esse potest.

FINIS.